

N.B. La plupart des graphies déroutantes pour un latiniste d'aujourd'hui ont été remplacées par celles qui ont cours dans les éditions modernes.

**MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI ELEGIARUM Liber Primus.**

AQUILA TYPUS ECCLESIAE. ELEGIA I.

E1\_1 v.1 Non hic Caucaseae simulamina rupis, et illam  
 2 cernis Iapetidae quae jecur urget, avem.  
 3 Fictitii fors si qua fuit Jovis armiger olim,  
 4 schema gerit sanctae nobilitata rei.  
 5 Est aquila haec Christum turbae profitentis imago,  
 6 cordaque salvifica signat amicta fide.  
 7 Aspicias ut saxo subigat curvaminis uncum,  
 8 impos ut obtorti deterat oris onus.  
 9 Damna vetustatis fugiens hoc denique pacto  
 10 carpit, et occlusi gutturis ansa patet.  
 11 Multa dies apicem labrumque coarctat in hamum,  
 12 pinguibus impediens exta fovere cibus.  
 13 Longa laborantis populatur inertia robur,  
 14 debilitatque fames corpus inane mora.  
 15 Ne tamen intereat, dum macra doloribus estur,  
 16 vena cadaveribus tracta cruoris agit.  
 17 Ast ubi solvit acum, verrucaque trita palati est,  
 18 deposita stomachi debilitate valet.  
 19 Quaeque fuit nuper torpens effeta senecta,  
 20 alitis ingenium luxuriantis habet.  
 21 Haud secus aerumnis Ecclesia pressa gravescit,  
 22 aegraque ceu macie viscera sentit edi.  
 23 Quaeque fuit quondam juvenilibus integra nervis,  
 24 turba sequax Christi facta videtur anus.  
 25 Vertitur in rugas et contabescere sensim  
 26 incipit, est virtus, quam fuit ante, minor.  
 27 Hausta vetustatis vitio praecordia torpent,  
 28 priscae victus amor strenuitatis hebet.  
 29 Cernere defectus ex omni parte videtur,  
 30 quamque sit angusti limitis illa domus.  
 31 Luget, at in sese planctum cum voce repressans,  
 32 instar et aegrotae stridula vagit avis.  
 33 Ne languore tamen desperabunda labascet,  
 34 in pia dum macies ilia dente furit :

35 sanguinis ambrosii libamina sugit, et haustu  
 36 se recreat, qualem vita salutis amat.  
 37 Et quia cognoscit, quae sint discrimina, si non  
 38 officium faciat vox operata suum.  
 39 Cautis ad affrictum, si quid supereminet, aufert,  
 40 impatiens vitii pars quod adunca facit.  
 41 Spiritus instaurat supera virtute vigorem,  
 42 confirmata recens clangor in ora venit.  
 43 Sic ubi jam vires Jovis integraverit ales,  
 44 dulcia desueti pabula moris edens,  
 45 acrior innumeros vitam producit in annos,  
 46 ultra, vivaces quam potuere viri.  
 47 Soli aevum renovare datum est, et ponere morbos,  
 48 rancida quas comites pone senecta vehit.  
 49 Omne supergrediens Ecclesia durat in aevum,  
 50 nulla dies illi est impositura modum.  
 51 Saeviat in sanctos admissa licentia ferri,  
 52 bile tyrannorum multiplicante cruces :  
 53 perfremat inferni dominator et omnia tentet,  
 54 quae vetus atque recens urget adire furor.  
 55 Coetus amatorum Christi sine fine triumphat,  
 56 destruet electum nulla ruina gregem.  
 57 Laeta ministrabunt mox incrementa nitorem,  
 58 inque novam pubes rejuvenescet avem.  
 59 Indefessa oculorum acies, vis enthea linguae,  
 60 pompaque remigii pulchra volantis erit.  
 61 Inclita gratuita vulgo doctrina salutis  
 62 ultima trans orbis climata rumpet iter.  
 63 Regiaque ut volucris lassata cadavere gaudet,  
 64 sic, ubi Christus agit, turba fidelis aget.  
 65 Pabula odorisequi praesentit acumine naris,  
 66 et nondum factis caedibus ante volat.  
 67 Sic gemit ad Domini reditum vehementur anhelans  
 68 concio, quae Christi numen amore colit.  
 69 Pascere laetificis oculos suspectibus optat,  
 70 cum redeat princeps ipse beare suos.  
 71 Edite nunc animis vos o pia pectora numen,  
 72 imbellis procul hinc iste veteranus eat.  
 73 Eloquio certate Dei defendere causam,  
 74 lingua nec infirmi torpeat aegra situ.  
 75 State pares contra informis blasphema tyranni  
 76 signa, colit reprobi qui Mahometis opus.  
 77 Ite, preces armis creperas miscete parati,  
 78 noster ab invisa gente triumphus erit.  
 79 Utque Dioneas volucrum regina jugales,  
 80 agmina pelletis barbara Marte pio.  
 81 Praepes obaeratum necat heroina draconem,  
 82 invicti statuens alta trophaea pedis.  
 83 Addere virtuti comitem se numina gaudent,  
 84 nec labor in ventos, quem Deus urget, abit.

NAVICULA ECCLESIAE. ELEGIA II.

E1\_2 v.1 Fluctuat hybernans Ecclesia, quale phaselus,  
 2 quam fera tempestas, quam furor urget aquae.  
 3 Hinc paradoxa pluit rector mendacis Averni,

4           inde tyrannorum percutit ira latus.  
 5       Omnia perniciem miseris elementa minantur,  
 6           monstra cavernosae mortis imago fremunt.  
 7       Exoritur pavor et fractae trepidatio gentis,  
 8           nec labor est illic fidere posse levis.  
 9       Ipse gubernator tanta sub clade soporem  
 10           fingit, ut ignorans adseruisse pios.  
 11       Quid tamen o nimium, socii, trepidare necessum ?  
 12           Christus in hac ipsa puppe magister inest.  
 13       Ille potens omnes nutu sedare tumultus :  
 14           deserat hoc pacto seque datamque fidem ?  
 15       Nec requiescit enim, nec solvit inertia lusu  
 16           corda, soporatum non videt ulla dies.  
 17       Sint modo qui pergant turbare vocatibus aures,  
 18           imperio Domini monstra marina silent.

IUSTITIA EXULANS. ELEGIA III.

E1\_3    v.1       Hospes, in extrema quicumque crepidine muri  
           2           aspicis hoc statuae tela gerentis opus :  
           3       miratusque putas quae sim, quae culpa fugatum  
           4           sub Jove constituat nubificante caput.  
           5       Phidiacae non artis opus Rhamnusia dicor,  
           6           nec sto de Pario marmore sculpta Venus.  
           7       Justitiam me turba vocat : venerabile nomen,  
           8           numina cognoscat qui mea, nemo venit.  
           9       Me templis coluit ; me thuris odore vetustas,  
 10           inque suo pretio cura Themistos erat.  
 11       Nam leges et jura tuli, juxtaque tribunal  
 12           semper honorifica sede recepta steti.  
 13       Mecum cana fides aevi consortia junxit,  
 14           quaeque solet populos pace beare salus.  
 15       Nunc miseram violenta foras injuria trusit,  
 16           sumque per exilium carpere jussa fugam.  
 17       Remigium sed enim mihi vis evulsit et alas,  
 18           nec, quo mater iit, fas supera alta sequi.  
 19       Sed vagus imber edit, Niobes ut inutile marmor,  
 20           et mea conspurcans inquinat ora situs.  
 21       Auri massa prius, facies modo saxea fingor,  
 22           qualia sint igitur saecula, mole proba.  
 23       Bacchus amator opum crateribus innatat aureis,  
 24           vilibus illinitur bractea fulva diis.  
 25       Delia venatrix aras et templa meretur,  
 26           cornua stant sacris aspicienda locis.  
 27       Inter divitias Comus dominatur in aula,  
 28           et sua cum genio sacra sodale videt.  
 29       Accipitur tectis Venus aurea, mollis Amorem  
 30           inter delicias libaque lectus habet.  
 31       Justitiam pepulere foras, ne gaudia turbem,  
 32           dum sanctis jubeo legibus aequa sequi.  
 33       Jura tegeo, regnisque nefas arcere laboro,  
 34           vindictaque inopes asseruisse reos.  
 35       Dum me non facies, non ampla potentia versat,  
 36           neu favor, aequali facta bilance noto.  
 37       Haec mihi dexteritas incorruptissima damno est,  
 38           sedibus et gravitas expulit arcta meis.

39 Dura magistrorum detrectant ulcera tangi,  
 40 regibus invisam me rigor iste facit.  
 41 Culpa nec ulla mea est, nisi si culpa esse putatur,  
 42 Numinis imperium jussaue certa sequi.  
 43 Non loquor humani motus inventa, nec unquam  
 44 edo quod indigetes constituere viri.  
 45 Ipsa Jovis decreta fero, jus aethere in alto  
 46 a patre docta : sed o vis mea jura premit.  
 47 Me dictante, Ceres peragratum legibus orbem  
 48 muniit, Egeriam me vocat ara Numae.  
 49 Me Spartana suam movere statuta magistram,  
 50 illa Lycurgaeo publica facta stylo.  
 51 Musa Solonis eram, me per memorabile nomen  
 52 Aeacus et Minos et Rhadamanthus habent.  
 53 Quid moror in parvis ? Me, qui contendit Olympo ;  
 54 quique Deo cupiet proximus esse, colat.  
 55 Funditur, ut denso, virtus examine, circum  
 56 oppida, justitiam devenerata sacris.  
 57 Mecum prosperitas, et pax amplissima rerum  
 58 cum domibus, larga dote salutat agros.  
 59 Plura vetant dolor et lacrimae turpisque repulsae  
 60 (hic compensandi mos benefacta) pudor.

ANGELO BONO DIE Poetae natali. ELEGIA IV.

E1\_4 v.1 Caste gubernator vitae custosque salutis,  
 2 cui commissa, Deo principe, cura mei est :  
 3 qui honus assertum me damna per obvia servas,  
 4 servitiumque pia sedulitate probas :  
 5 impiger ingentes casus avertis alumno,  
 6 per mala, te sicut numine, tutus eo.  
 7 Huc ades et memoris grates evolve minister  
 8 Angele, neu spernas vile clientis opus.  
 9 Sum minor hoc tanti, licet indigus, alitis usu,  
 10 officiis mea nec sors bene digna tuis.  
 11 Tu solenne genus, tu spiritus aetheris heros,  
 12 nos tibi collati sordida gleba sumus.  
 13 Flamma Dei flammae censors es, et alta propago,  
 14 assidue cui fas ora videre Dei.  
 15 Vota ministerio Domini, qui sidera torquet,  
 16 laudibus aeterni digna reperta patris.  
 17 Libera te tantum pietas evexit, et in qua  
 18 perpetuo stabilis relligione manes.  
 19 Nec potes admissa decus hoc effundere culpa,  
 20 Numen amas caste, nec nisi jussa facis.  
 21 Usque Dei solium supplex veneraris, et adstas  
 22 imperii servans, obsequiique tenax.  
 23 Non ego sum tanti, fecit sed gratia divum  
 24 talis ut asseclae marte fideque fruar.  
 25 Compita tu mecum per hiulca pedissequus erras,  
 26 diceris et famulas supposuisse manus.  
 27 Turpibus incoeptis ancillatura voluntas  
 28 incautos retrahit, te remorante, pedes.  
 29 In caput avertis directa pericula caecum,  
 30 dum sequar, exitium damnaque praeter eo.  
 31 Arbitrio quoties animi petulanter abusus

32           issem praecipites ad mala certa vias ?  
 33       Dulcia pernicies rupisset stamina vitae,  
 34       membra vel infirmi clauda fragore geram.  
 35       Saepe soporatum Daemon jugulare paratus,  
 36       arma retro versum per tua pulsus iit.  
 37       Quavis arte pios postit rugitor Averno,  
 38       lora sed immani contrahit arcta Deus.  
 39       Secum numen habet, vafra bestia rector abyssi est,  
 40       plus furor humanis viribus iste valet.  
 41       At circumscriptos ultra vim tendere fines  
 42       illegi prohibent acta capistra manu.  
 43       Omnia tentanti sacra turma viriliter obstat,  
 44       aligera feritas indole victa cadit.  
 45       Dive mei custos, tu vim, tu frivola cernis  
 46       consilia, et lethi larva quod urget onus.  
 47       Ardentesque dolos et conjurata nocendi,  
 48       tela vides, oculis abdita tela meis.  
 49       Nec tantum directa vides, avertere certas,  
 50       ne voto feriant efficiente scopum.  
 51       Ictibus hostis ovat, tu fortiter excutis ictus,  
 52       te, Styx ima potest, excubitore, nihil.  
 53       Pro quibus emeritis ac tutelaribus ausis,  
 54       leniter et sub quo tegmine sospes ago,  
 55       seu superare datur, seu mox dilapsus in auras  
 56       intuitu pascam lumina clara tui :  
 57       voce tibi grates animoque clientis amoeni  
 58       quaque facultatis dote licebit, agam.  
 59       Usque triumphali, me vate, cieberis oda,  
 60       tuque tot eximiis vita referta bonis.  
 61       Tot quibus edendis praesens haud sufficit aevum,  
 62       orbis at his operis aptior alter erit.

DE PUERPERA EX APOCALYPSI. ELEGIA V.

E1\_5    v.1       Ergo quid haec Phoebi mulier radiantis amictu,  
           2       quidve coronatae sub pede Luna monet ?  
           3       Fallor an ? Haec populi Christum profitentis imago,  
           4       ultima cum mundi fabula solvet opus.  
           5       Candida lux verbi tanquam Sol splendidus ortu,  
           6       toto salvificum sparget in orbe jubar.  
           7       Scripta coruscabunt ardore prophetica, quantum  
           8       auctior undeno Lucifer igne micat.  
           9       Innumerus regno Christi lucrifiet amator,  
 10       haec soboles uterum nempe ferentis erit.  
 11       Impetus hic Turcam generosi flatibus oris  
 12       vertet, ut imposito Cynthia calce notat.  
 13       Aestuet ipse licet, diras et fulmina ructans,  
 14       cui tot hiant denis cornibus ora, draco :  
 15       celsa triumphator scandit puer : effugit iras  
 16       Caesareae genitrix flabra volucris habens.  
 17       Hoc decus, hoc mundi statuet sub fine trophaeum,  
 18       illa redemptoris fulva cruore fides.

## DE TYRANNORUM INSANID. ELEGIA VI.

E1\_6 v.1 Vidi ego, qui celeres fluctus prohibere laborat,  
 2 sive tuos Ister, vistula sive tuos :  
 3 grandibus impensis opus impiger urget et ausis,  
 4 ne solito currat flumen et unda vado.  
 5 Cum feritate labor vacuas it inanis ad auras,  
 6 antiquum retinent Ister et Albis iter.  
 7 Sic Evangelii si quis vesanus alastor  
 8 Curriculum properet praepediisse mora.  
 9 Cominus obtendat moles furor obice multo,  
 10 surgat et aggeribus machina structa decem.  
 11 Nulla valet contra dios violentia motus,  
 12 et valeat contra debilis ira Deum ?  
 13 Omnia conatos Rhamnusia praepes ad unum,  
 14 turpiter igniflui trusit in antra lacus.  
 15 I age, et immensos montes oppone, tumescet,  
 16 Magnaque vis in agros exspatiantis erit.  
 17 Mille modis aditus caelo vox edita rumpet,  
 18 stent adamante licet septa, negentque viam.  
 19 Coepta miser frustra flagrantia perdis, et in te  
 20 irarum illuvies undecumana ruet.  
 21 Quam Nero,quam fervens expertus apostata cladem est  
 22 qui domiti mores, quique Valentis habent.  
 23 Lenius in Christi, moneo, bacchare clientes,  
 24 quid tibi perniciem sumptibus ipse struis ?

## EPITAPHIUM ALBI SUBMERSORUM, ELEGIA VII.

E1\_7 v.1 Si juvat auditu casus cognoscere maestos,  
 2 fataque flebilibus praecipitata modis.  
 3 Quam nimis exiguo lethi discrimine distet,  
 4 nave receptorum vita, notare licet.  
 5 Festus agebatur juveni baptisma professo,  
 6 cum gravis Albino prora soluta vado est.  
 7 Navita suscepit miserum male sobrius agmen,  
 8 ante licet sabulo plena carina foret.  
 9 Itur : at impulsu ferit impetus edita pontis  
 10 saxa, latens amplo fragmine venter hiat.  
 11 Culpa mali vectoris erat : vix cessimus ultra  
 12 in mediis, mersa nave, natamus aquis.  
 13 Fluctibus abripimur, promiscua corpora vortex  
 14 (tortilis in gyrum vertitur unda,) vorat.  
 15 Poscimus auxilium, pontis spectator ab arcu  
 16 luget, at hei linter nulla secundat opem.  
 17 Octo decemque vadis emergimus, hei lacrimandum est,  
 18 corpora lethali plura periisse mora.  
 19 O amor atque dolor : arctis amplexibus haerens  
 20 cum sponso rapitur mersa puella suo.  
 21 Ut juvenique fuit patulis innexa lacertis,  
 22 talis et in media morte reperta fuit.  
 23 Haec nostri monumenta legens miserare viator,  
 24 sic numquam tales experiare vices.

## BONUS PASTOR. ELEGIA VIII.

E1\_8 v.1 Cum Deus exilio solium mutasset Olympi

2 irati fugiens numen Apollo patris :  
 3 dicitur Admeti regis pavisse juvencos  
 4 quasque super domini caula premebat oves.  
 5 Digna Deo pietas, cura servator herilem  
 6 praestitit incolumem praesidioque domum.  
 7 Cura sed et nostri potior tutela magistri est,  
 8 (Pastoris titulo nempe redemptor ovat :)  
 9 namque suam pecudem non tantum pascit, ubi ros  
 10 dulce salutiferi gramen odoris alit.  
 11 Sed fovet aegrotas proprii virtute cruoris,  
 12 pro grege nam custos sustinet ipse mori.  
 13 Adde quod infenso lethi jam dente prehensos  
 14 ad lacrimosa trahi non sinit antra pios.  
 15 Manibus ex ipsis raptat credentia victor  
 16 corda, quis huic similem praestat amator opem ?  
 17 Cedite pastores, quos prima pericula terrent,  
 18 et pavor officio suadet abesse fidem.  
 19 Quos studium vecors et mollis inertia cogit  
 20 absque pudore gregem prostituisset lupo.  
 21 Haud ego custodis, raptorum nomine dignor,  
 22 qui cum lanitio munera lactis amant.  
 23 Cum lupus invadit, contagiaque effera serpunt,  
 24 trans profugi montes flumina transque volant.  
 25 Edite praestantes animos statione reposti  
 26 caelite, mercedem cura fidelis habet.

VIOLA, AD DN. HENRICUM NICARDUM, CONS. CAES... ELEGIA IX.

E1\_9 v.1 Dum violam quae prima nitens exspirat odores,  
 2 chlorigenasque cano, veris amator, opes :  
 3 transfer apricatum Clarii me collis in hortos,  
 4 roscida qua florum jus Zephyritis habes.  
 5 Cespitis Hyblaei circum me funde sapes,  
 6 floripari satur ut mensis honore fruam.  
 7 Tuque mihi, Nicarde, sed haud sine versibus unquam,  
 8 nec nisi cum plausu conveniende, fave.  
 9 Care Nicarde fave, quem fata potentia dignum  
 10 arcis in illustri constituere loco.  
 11 Unde potes veros laudum decerpere fructus,  
 12 nec tamen hac etiam spernis ab arte cani.  
 13 Da vires geniumque stylo, tibi promittit amicum  
 14 Musa parum fausti vatis alumna melos.  
 15 Dum sedet exanimes secum meditata querelas,  
 16 quas tamen aura suo verna lepore levat.  
 17 Veris io mihi numen, et o pulcherrime splendor,  
 18 tuque parens almi terra vigoris ave.  
 19 Vos ab humo frutices gravida salvete reducti,  
 20 Unde ferit blandi sensa coloris odor.  
 21 Multigeni flores et frons uberrima gemmis,  
 22 vos nova quo tandem germina more canam ?  
 23 At te praecipue, quae nos caelestia primum  
 24 quaerere caeruleo, gemma, nitore mones.  
 25 Juppiter hoc miserans Io sua gaudia pavit,  
 26 aemula cum vitulam fecerat ira Deae.  
 27 Quis me nunc Cilicum celer in violaria ponet ?  
 28 In Paphon aut valles Enna benigna tuos.

29 Qua scatebris fontes rigui labentibus ultro  
 30 sub musci streperum tramite murmur agunt.  
 31 Jugis ubi et flabris numquam violanda Boreis,  
 32 stat viola, assiduo veris alumna legi.  
 33 Aurae spirantes aurae, quas rura pruinis  
 34 Spargere mense jubet Cypria diva suo,  
 35 este, precor, lenes, et odoro parsite flori,  
 36 quem legit aurigera nostra puella manu.  
 37 Et legit, alludens et amori donat habendum,  
 38serta mihi o cuivis aequiparanda bono.  
 39 Ustus at o quoties decor hic Aquilonibus horret,  
 40 et languere levem vis facit aspra jubam.  
 41 Dum terra se primus agit, neque frigora Martis  
 42 quasve pluat, metuit Cypria Luna nives.  
 43 Prodigia virtutis late spiracula tendens,  
 44 sensa Palaepaphio plena vapore beat.  
 45 Praeproperos cupiens adeo viola edere cultus,  
 46 saepius a ventis anticipata cadit.  
 47 Ipse tepor flori vires animumque ministrat,  
 48 nec sinit occulto delituisse toro,  
 49 ut caput explicuit, simul halitus aera tranans  
 50 ad cerebrum blanda proditione venit.  
 51 Nuntia stat sociis alta telluresepultis,  
 52 aeris invisii praeteriisse minas.  
 53 Mox alii properant aliique, meatibus actis,  
 54 prolificante comas explicuisse solo.  
 55 Sic ubi tempus erit quondam, sub fine dierum,  
 56 altera stellati regna subire situs,  
 57 corpora deposito languore levabimus arvis,  
 58 quotquot hic a primo funera mundus edit.  
 59 Floris et in morem pulchrum diffundere limbum  
 60 fas erit, exuta debilitate, piis.  
 61 Illa dies laeto cum cardine proferet ortus,  
 62 eximet, hic miseros si quod acerbat,onus.  
 63 Cedet hiems, orbisque rigor, spes credula Christo  
 64 dulcia perpetui tempora veris aget.  
 65 Nulla reportatos ad amica palatia Solis  
 66 nubila sollicitos sunt habitura metu.  
 67 Quos tunc cum sociis plausus edemus in auras ?  
 68 Quanta salutiferae gaudia lucis erunt ?  
 69 Urbs ovat hoc pacto, muris ubi diffugit hostis,  
 70 si qua tulit longas obsidione cruces.  
 71 Ceu modo laetitia pubes exsultat in agris,  
 72 rustica florilegae gens operata Deae.  
 73 Invitat novitas exoptatissima rerum,  
 74 exsertaeque nitor rejuvenilis humi.  
 75 Oscula dant omnes violae, quae prima virescens  
 76 laudandam Veneri protulit orta jubam.  
 77 Plausibus excipitur pulcher cum surgit ab ortu  
 78 Phoebus, ad Antipodes indecoratus abit.  
 79 Primitiis suos exstat honos, haec praepetis anni  
 80 candida virginitas jure vocanda venit.  
 81 Tempus io salve, cum tristis inertia brumae,  
 82 et rigor illustri Sole fugatus abit.  
 83 Cum cultu renitescit ager, cum vinea frondet,  
 84 tempus et in morem luxuriantis ovat.  
 85 Silva decus recipit, floremque resumitis horti,  
 86 vesca tener pecudi gramina campus alit.



87 Lacte virent sulci, laeta seges indole ridet,  
 88 dia veni clemens in tua dona Ceres.  
 89 Parturit illecebris accensa loquacibus ales,  
 90 et strepitu valles et nemus omne ciet.  
 91 Ipse nec alludit tantum tinnitibus oscen,  
 92 uda sub immunda rana palude canit.  
 93 Vile genus passer, sed et is sua gaudia promit,  
 94 et quacumque potest aethera voce ferit.  
 95 State bonae volucres, quarum meditatio musae,  
 96 me vestris hilares inseritote choris.  
 97 Vobiscum juvat ire situs, qua cantor Aedon  
 98 florida pervigili tesqua canore beat.  
 99 Vobis hostis hiems, at non inimicior ulli  
 100 quam mihi : quam longas ab facit illa moras ?  
 101 Hanc ego temperiem lenesque teporibus auras,  
 102 invoco lucentem torridus ante focum.  
 103 Has rerum mundique vices spe plenus avebam,  
 104 Cum mea nimbosum clauderet ora gelu.  
 105 Verna revertantur, dixi, ver utile posco,  
 106 et mea vobiscum juncta querela fuit.  
 107 Facta stat en residis voti sententia compos,  
 108 pulchra triumphali veste superbit humus.  
 109 Sensa revertuntur plantis, recipitque vigorem,  
 110 quicquid apricato sub Jove mundus alit.  
 111 Nunc animis alii redeunt cum tempore motus,  
 112 plenior ingenii carbasa flatus agit.  
 113 Adsere me comitem, Philomela, sonantibus odis,  
 114 dulce fere nostri nomen amoris habes.  
 115 Seu tibi junctus eam, laudata lyristria, cujus  
 116 Musa viatori carmine truncat iter.  
 117 Dia coronarem gaudens exordia rerum,  
 118 et lepor hic palmam, me tribuente, ferat.  
 119 Mecum blanda comes Philabella sequacibus iret  
 120 passibus, Attalico conspicienda sinu.  
 121 Qualis odoratos mecum spatiata per hortos,  
 122 basia cum nobis prima, sed apta dedit.  
 123 Lusibus alternis nos indulgere vicissim,  
 124 ut videt, ut blandum comprobat Albis opus.  
 125 Intuitusque datis pro versibus oscula reddi,  
 126 risit, et Argeliam plenus amore vocat.  
 127 Dumque vocat, prono celer impete fertur in illam,  
 128 redditus illecebris laetior ille meis.  
 129 Ite voluptates, non huic aequanda voluptas  
 130 ulla, probaturas vos ego testor aves.  
 131 Laude creatorem vos divectatis et hymnis,  
 132 omnia qui patrio numine pulchra facit.  
 133 Cum Terei sedenim sordes redolentibus alis,  
 134 cum cuculoque mihi comprecior esse nihil.  
 135 Hic, quam dulce melos, sua probra libentius audit,  
 136 ille perobscaeni crimen amoris habet.  
 137 Veris aves sunt : doctae illaetabilis auri,  
 138 serviat agricolis pinguibus ille canor.  
 139 Nobis dulce situm viridi posuisse sub antro,  
 140 quo sacra vitiferi procubet umbra patris.  
 141 Ales et attentas concentibus obstrepat aures,  
 142 qua viola e vivo cespate mitis eat.  
 143 Convenit intactae campi flos ille juventae :  
 144 tristis anus posito torreat igne femur.

145 Huc revoca Philabella gradus : ignoscite stirpes,  
146 nescio quid vobis blandius illa fragrat.  
147 Ferre libet pulchro redolentia basia flori,  
148 quo redit in campum, pulchra, ciente Venus.  
149 Vosque sub herboso gyros agitatis amores  
150 cespitem, laetitiam parta trophaea parant.  
151 Haec hilarare choros facies, haec ludere mandat,  
152 dulcis et intuitu pascere sensa rei.  
153 Talis item primum nascentis gratia mundi,  
154 orbis et aspectus parturientis erat.  
155 Stat solenne flagrans opus, auctoremque salutat,  
156 officii servant cuncta creata vicem.  
157 Gleba rudis terrae pubescit, alentibus herbis,  
158 luxuriat nullo semine fetus ager.  
159 Undique festiva pinguntur syndone campi,  
160 it toto novitas conspicienda solo.  
161 Exactum quocumque jubar de termite splendet,  
162 prima dies aevi veris alumna fuit.  
163 Unus homo celsa jam plenus imagine divum,  
164 constitit erectum fultus ad astra caput.  
165 Ille vias orbis solers et acutus in omnes,  
166 sensibus atque oculis admovet astra suis.  
167 Scire potens ortus, leges et foedera mundi,  
168 qua Phoebus et lucis publicus auctor eunt.  
169 Caelorum imperia et formas et numina novit,  
170 qui supera regnent in regione duces.  
171 Summa recursando si quos fecere meatus  
172 astra, sagax animo pervolitante notat.  
173 Quo ruat axe gelu, quo cardine nubilus imber,  
174 quae domus austrorum, quae pruina meet.  
175 Nesciat haec sapiens animus miracula caeli,  
176 Notus inaccessus cui fit igne Deus ?  
177 Ipse sator rerum manifesta in luce tuendi  
178 Jus dedit, ac liquida voce cupita loqui.  
179 Subjecitque feras domino, quibus entheus heros,  
180 nomina naturae gnarus amica ferat.  
181 Rebus hic affixit monimenta perennia, solers  
182 corpora quid teneant illa vel illa boni.  
183 Quis vigor in saxis, quae stirpibus insita virtus,  
184 qualis ab innumero germine succus eat.  
185 Grande magisterium : sed et hoc sapientia regi,  
186 altaque siderea lucis origo dedit.  
187 Ante pedes violam de cespitem primitus ortam  
188 ut videt, ut lepido stamine loetus ait :  
189 macte tuis ergo, bone floscule, viribus esto,  
190 semper et hoc ipso mense resume comas.  
191 Candida temperies anni nunc : ipsa quotannis  
192 temporis augurium suave comantis habe.  
193 Natali properaque tuo nascente renasci,  
194 laetaque primogeno sis et amoena die.  
195 I decus insertum virtutibus edere pernix,  
196 jucundi cerebro funde saporis opem.  
197 Te petat intexens olim pulcherrima serto  
198 progenies, neptem gente professa meam  
199 omen in eventu est. Quota non campestris lustrans,  
200 germen id impositum gestit habere comis ?  
201 Ergo voluptatum quis me nunc ponet in horto,  
202 o in terrigeni regna parentis Adae ?

203 Ornamenta viri majestatemque recentis  
 204 aspiciam, nemoris prolificumque decus.  
 205 Integra fas rerum coram figmenta tueri,  
 206 cumque atavo voces jungere, divus ero.  
 207 Aut aliquis ducat me per Solomonia Tempe,  
 208 Tempe deliciis nobilitata suis.  
 209 Qua Rex illustris Sophiae vestigia pandens,  
 210 naturam ingenii perterebravit acu.  
 211 Acer et a cedro, per olentis balsama ligni,  
 212 vilis ad hyssoi germina censor iit.  
 213 Differor optatis, et vota volantia quovis,  
 214 non profecturo turbine ventus agit.  
 215 Ire animis quo primus Adam, quo regius ivit  
 216 ardor, ab hoc aevi res aliena statu est.  
 217 Vita secuturi post ultima saecula tractus,  
 218 ingenii compos divitioris erit.  
 219 Haec super auspicio floris, Nicarde, jubebant,  
 220 Pierides numeris implicuisse suis.  
 221 Pierides tacite quae te venerantur, et ultro  
 222 notitiaeque vacant obsequioque tui.  
 223 Et meminisse juvat vitae genialiter actae,  
 224 inter communis vina dapesque peni.  
 225 Nunc me ripa tenet divi qua Caesaris arcem  
 226 Metropolitique secat Molta Boemus aquis.  
 227 Tempore cum violam mollesque comas hyacinthos,  
 228 primaque narcissi germina Maius agit.  
 229 Flamine spirantis Zephyri mulcentur olores,  
 230 haud secus augurii spe melioris alor.  
 231 Nec plus obstantis fati ludibria curo,  
 232 quam seram Veneri myrtus amica nivem.  
 233 Esto bonus, musamque meri, Nicarde, favoris,  
 234 candor et inscribit quod tibi priscus, ama.  
 235 Sic bene fortunam vitae cum cursibus aequas,  
 236 incolumi tribuat nec nisi laeta Deus.

ELIAE HUTERO V. CL. ELEGIA X.

E1\_10 v.1 Annus hic exactis qui cursibus urget in orbem,  
 2 jam finemque suum paene volutus habet,  
 3 Fatorum tibi nevit opus non undique laetum,  
 4 pluribus eventis res labefacta tua est.  
 5 Frivola nec saltem bona sustinere tumultum,  
 6 dempta jacet cordi portio magna tuo.  
 7 Filiolo pater infelix viduatus Elia es,  
 8 ista novercalis prima rapina deae.  
 9 Invida surripiunt genitorem fata, beatis  
 10 spectatum meritis et pietate senem.  
 11 Scilicet immensum peperit jactura dolorem,  
 12 improba sors illa si satiata foret.  
 13 Dulcia filiulae quoque gaudia perditis Annae,  
 14 crevit inexhausto matris amore dolor.  
 15 Blandula maestorum spes deliciaeque parentum,  
 16 et desiderii flammula dulcis ubi es ?  
 17 Bella jaces aetas : ab tantum parcere nosset,  
 18 parsisset teneris Parca severa genis.  
 19 Sic rosa praecipitat, florem sic candida perdunt

20 lilia, flaccibilis sic hyacinthe volas.  
 21 Quam subito violas decor et fragrantia linquit,  
 22 sic cadis hei crudo massa pusilla die.  
 23 Intueor picta quoties in imagine vultus,  
 24 labitur ex oculis stilla soluta meis.  
 25 Illa quidem illustri caelestia luce tuetur  
 26 templa, nec est aetas gratior ulla Deo.  
 27 Comis ubi cum fratre suo, cum gente coeua,  
 28 dulcia in amplexu júbila plaudit avi.  
 29 Gaudia nec terrae desiderat amplius : at nos  
 30 plenus adhuc miseris luctibus orbis habet.  
 31 Stant tot ubi casus et tot discrimina rerum,  
 32 quot non in numerum supputet una dies.  
 33 Et quid amicitiae memorem tibi lege propinquos ?  
 34 Maesta sepulturae quos Libitina dedit.  
 35 Donec Caesarea procul hinc nos inclitus aula  
 36 detinet Austriacae notior Ister humo.  
 37 Unus tot lacrimas, unus tot gignere clades,  
 38 annus, acerbata conditione, potest.  
 39 Solveris in fletus, vitecula stricta coloni,  
 40 falce velut teneris vulnus adimplet aquis.  
 41 Quamvis interea motus ostendere fortes,  
 42 in media rerum tetricitate vales.  
 43 Ergo tot aerumnis aequas opponere mentes,  
 44 fallor an ? Est animi non mediocris opus.  
 45 Quod sors atra ferat placide superare ferendo,  
 46 ingenio vis haec a sapiente fluit.  
 47 Nec tamen assiduo quassae res turbine nutant,  
 48 in varias abeunt omnia nostra vices.  
 49 Mira viros fortuna rotat mutabilis aevi,  
 50 sed tenor in melius cuncta volucris agit.  
 51 Triste subit, factae tot cernere fulmina cladis,  
 52 perdere tot cordis pignora triste subit.  
 53 Cum ruit immitis vesana licentia fati,  
 54 mole gravi turgens et decumana ruit.  
 55 Nempe maritorum sunt haec monimenta piorum,  
 56 usque comes dulci crux et amica toro est.  
 57 Dura pati, fautore Deo, quis abhorreat illex ?  
 58 Legitima pugiles in statione sumus.  
 59 Vis invicta malis postquam superavit agonas,  
 60 auferimus brabeum laureolamque Dei.  
 61 Tempus erit, quos vita parat, dediscere casus,  
 62 et Paeana Deo clangere tempus erit.  
 63 Annus hic aerumna quod acerbum movit, id omne  
 64 cursibus utilior corriget una dies.  
 65 Gaudia pro lacrimis carpes, successibus edens  
 66 caepta secundatis, quae modo lenta manent.

DEO VOLENTE VOLO: SYMBOLUM NICOLAI REICHELII... ELEGIA XI.

E1\_11 v.1 Velle volente Deo, sursum virtute volantis  
 2 Reichelii tereti tessera voce monet.  
 3 Irrita cernit enim ferri bona, si qua voluntas  
 4 prodere, non aliquo numine freta, parat.  
 5 Divolitant animis omnes ingentia nisi,  
 6 quoque licet sensus acris acumen agunt.

7 Dissimilis gliscit studii contentio : dispar  
 8 flagrat amor curae cuique libido sua est.  
 9 Dum genio levitasque trahit sua quemque sequaci,  
 10 quolibet in nihilum coepta volentis eunt.  
 11 Armigeris orsos manibus rescindere Olympum,  
 12 tortile praecipites fulmen et ira dedit.  
 13 Vel sine diis dare victorem temerarius Ajax  
 14 jactat, et en armis occubat ipse suis.  
 15 Summa petens aliquis, ferventibus excidit ausis,  
 16 datque retenturis nomina mersus aquis.  
 17 Unicus huic uni non sufficit orbis : at inter  
 18 conatus juveni parca severa venit.  
 19 Vinceret ille Midam votis, votique potentem,  
 20 taedia cum certo mixta dolore premunt.  
 21 Artis et ingenii gliscentis hic explicat alas,  
 22 et sine profectu, quo negat aura, micat.  
 23 Nempe sui ludit quondam fiducia, si qui  
 24 non didicere, Deo, velle volente bonum.  
 25 Nulla secundari, quamvis ardentia, possunt,  
 26 ni rata, coepta, Deus jusserit ipse vehi.  
 27 Illa velis igitur quae vult deus, alite cedent  
 28 plausibili, eventis terminet ille modum.  
 29 Aequa volunt superi, nos frivolus implicat error,  
 30 Nostra quot o caecae pectora noctis habent ?  
 31 Sola voluntatis propriae consulta creator  
 32 reprobat, hoc nutu nostra beante valent.  
 33 Reichelius studiis insigne virilibus explet  
 34 Musa quod egregia, symbolon, arte refert.  
 35 Mentis ad instinctum saltem mediocria spirans,  
 36 quaeque probaturo novit amica Deo.  
 37 Velle Deo quicumque suum substernit, is olim  
 38 clarus inoffenso scandit in alta gradu.  
 39 Impiger invidiam remor antesque ardua morsus  
 40 despicit ingenti marte, volente Deo.  
 41 Utile consilium, monumentaque dia notatu,  
 42 et plus ergo boni lemma saporis alit,  
 43 quam succincta brevi comprehendere musa libello  
 44 possit, amicitiae quamlibet illa vacat.

AD D. ANDREAM EBERSTORFFERUM Medicum V. CL. ELEGIA XII.

E1\_12 v.1 Musa parum forti ne qua torpore dehiscens  
 2 turpiter, aut curis facta feratur iners :  
 3 usque movens aliquid meditatur, (ut ilia rumpat  
 4 livor) et in fati taetricitate canit.  
 5 Mancus eram, nosti, claudum me fecerat humor,  
 6 ille necans aegra pestilitate pedes.  
 7 Seu tamen est sanies inimica sub artubus haerens,  
 8 crassior aut aliquis spiritus intus agit.  
 9 Haec quoque nuper enim mihi venerat hospes, ut atrox  
 10 ossibus et nervis insinuaret onus.  
 11 Hospes an hostis erat, non est discernere promptum,  
 12 loripedem certe reddidit illa gradum.  
 13 Ac velut articuli si quos violentia luxat,  
 14 tunsaque praecipiti membra fragore micant :  
 15 haud secus enerves dolor improbus undique plantas

16           urget, et anxietas motibus inde venit.  
 17       Pervia planities, cursu levissimus olim  
 18           jam velut inversa, trames, inhorret acu.  
 19       Omnia sunt silices, crepidae, soleaeque solumque,  
 20           nec mollem patitur pars odiosa manum.  
 21       Tormenti genus, et quo vix immanius ullum  
 22           eruat aerati carnificina bovis.  
 23       Quo tamen illuvies, inquam, vitiosa poetae ?  
 24           Vix alo Pieriam, sat miser ante, colum.  
 25       Appage : qui rerum, quas expetit usus, abundant,  
 26           te turgente valent exposuisse toro.  
 27       Teque cothurnicum farcire salubribus offis,  
 28           ponere et affecto fercula nata pedi.  
 29       Accipiant illi te scilicet aedibus amplis,  
 30           haustaque languidulae gratificata ferant.  
 31       Haud me deliciis, pompa neque dignor, et isto  
 32           luxuriae pretium quod gula farta parit.  
 33       Cruribus infractis me convenit esse, remotum  
 34           nuper in Hesperiam sum meditatus iter.  
 35       Hic amor, hae curae : frustra sed in omnia vertor.  
 36           Nam per agit solitas pestis amara vices.  
 37       Adde quod aerumnam, dum promovet, asper at, ultro  
 38           scommatibusque novans alloquiisque cruces.  
 39       Ergo beatricem sic aversaris, ut illi  
 40           efferus hospitium notitiamque neges ?  
 41       Ditibus optatam meditor tibi nempe quietem,  
 42           quaeque sit merito parcere docta pedi.  
 43       Si Genium nosti, quoque me novisse necesse est,  
 44           hunc comes insequitur certa podagra ducem.  
 45       Ante meos aditus quae crebra pedisseque venit,  
 46           te solita illecebris exhilarare fuit.  
 47       Has quod amicitiae quandoque receperis usu,  
 48           quomodo nunc diras carnificesque vocas ?  
 49       Ira suo cunctas penetrans ardore medullas,  
 50           an non est animo nota frequensque tuo ?  
 51       Vina quoque interdum tibi largius hausta recense,  
 52           haec quibus occultae glarea calcis inest.  
 53       Fallor an ? Optatis amplexibus oscula miscens,  
 54           gazula et est aliqua parte recepta tui.  
 55       Nomen habet causas morbi, si forte requiris,  
 56           omnis ab Idalia Cypride Teuto vocat.  
 57       Qui venit haec cordi jucunda licentia rerum,  
 58           me, quia sectatrix sum gregis hujus, amet.  
 59       Ringeris indignatus, at haec praeludia tantum,  
 60           vix in vestibulo turba recepta sumus.  
 61       Ringeris, decimo cum venerit impete tortor,  
 62           morbus et in cunctis ossibus asper erit.  
 63       Sic me dira loquax irrisibus angit adactum,  
 64           candescitque lues imperiosa joco.  
 65       Ast ego : quae memorare potes, quaeque obdere contra  
 66           haud recolo, nec, quae praeteriere, moror.  
 67       Gaudia cesserunt, quoque tu discede, nec ultra,  
 68           crurifragra nervos perditione grava.  
 69       Nec mihi sementem morbi postcena fingas,  
 70           causa nec in lusus transeat ulla meos.  
 71       Insperata boves et oves contagia sternunt,  
 72           quos mera cum liquido gramina fonte juvant.  
 73       Deficit aerisonus mediis in cursibus Astur,

74 quid, nisi cum faeno farra, caballus edit ?  
 75 Instat atrox hostis, talosque viriliter exest,  
 76 ausa vel ad summum tela vibrare genu.  
 77 Jamque videbatur, regno gavisa perenni,  
 78 jus id in articulos obtinuisse mora.  
 79 Cum mihi vel virtus, vel certe audacia robur  
 80 suggerit, aut aliquis vellicat ora pudor.  
 81 Ante bonum pedibus, quis me nunc alligat, inquam,  
 82 languor ? An huic vitio succubuisse velim ?  
 83 Milia tot campi cursu peragrasse volucris,  
 84 et stadium toties corripuisse piget.  
 85 Paenitet : Augustam pedes hinc, ultraque tetendi,  
 86 est mea post agilis terga relictus equus.  
 87 Saepe solebamus celeres praevertere currus,  
 88 nulla fuit plaustro cura trahente vehi.  
 89 Propria desidia sunt instrumenta quadrigae,  
 90 dicere, despiciens esseda, suetus eram.  
 91 Ite mei quondam pedites, contendite prompti,  
 92 Praga vocat, celeres experiamur iter.  
 93 Praga sui sedes exoptatissima regis,  
 94 quem mea lis aequam causaque poscet opem.  
 95 Longum iter, et quod vix bis tertia finiet Eos,  
 96 tardigradae fuerit ni seges acta luis.  
 97 Huc ubi perventum, tectis Rex degit in altis,  
 98 mille per extentos itur ad illa gradus :  
 99 Numen in arce sedet, qui numinis expetit usum,  
 100 huic arx acclivi est aggredienda jugo.  
 101 Sublimes in equis satrapae regalia scandunt  
 102 limina, nos solidis passibus ire decet.  
 103 Nos equites quoque enim, solo sed nomine, grandis  
 104 illa poetarum laurea serpit humi.  
 105 Sic iter ingressus jactu pernice probavi  
 106 crura, licet variis turpiter aegra modis.  
 107 Sic iter inceptum quarto finivimus ortu  
 108 Solis, et est oculis Praga revisa meis.  
 109 Publica nec mundi lux emetitur Olympum,  
 110 quin semel atque iterum regia tecta petam.  
 111 Sic miser accipio vementis tormina morbi,  
 112 dira nec est alio res ea more capi.  
 113 Evolat infelix, ut sese obtruserat, ultra  
 114 nec petit in tali nidificare sinu.  
 115 Venerat huc tortrix, at enim lacerata recessit,  
 116 ad genus Antipodum comprecor usque volet.  
 117 Qui cupit infirmi medicamina certa podagrae,  
 118 exigo tot mecum milia cursor eat.  
 119 Nec quis delicias, neu quae fomenta requirat,  
 120 est dolor impendens hac abigendus ope.  
 121 Haec obiter : nec, quod trahea curruve, putabis,  
 122 vel conductitio sim rediturus equo.  
 123 Ne devota lues et vis inimica recurrat,  
 124 omnis mollities eicienda gradu est.

## AD EUNDEM. ELEGIA XIII.

E1\_13 v.1 Claudia lues iterum talos mordace terebrae  
 2 vexat : io remove dira petulca faces.

3 Aufer acerbantes lumen vitale furores,  
 4 trux dea, jam satis est ante superque mali.  
 5 Seu dea, seu tandem Parcarum sanguinis una,  
 6 Plutus in obsceno quas Acheronte parit,  
 7 corporis humani flagris torquere meatus,  
 8 esse molestorum carnificina pedum.  
 9 Non ita Tisiphone tenues grassatur in umbras,  
 10 quas face viperea, quasque flagellat acu.  
 11 Ceu lanio Titius miser intestina rapaci  
 12 praebet, in assiduas mox rediviva cruces :  
 13 sic requies haud ulla datur stridentibus agris,  
 14 dum vacat in dirum parca pedestris opus.  
 15 Tolle catenatos, Eberstorffere, dolores,  
 16 si potes, aut leni, quod furor urit, onus.  
 17 Ad te confugio et supplex tua pharmaca posco,  
 18 dirigat o praesens, artis, Apollo manum.  
 19 Ille poetarum qui se profitetur alumnum,  
 20 et medici partes auxiliator agit.  
 21 Jam testudineo meditor procedere passu,  
 22 fertque laboranti furca bicornis opem.  
 23 De cruce suspendit corpus delumbe sub alis  
 24 pertica luxato parcere docta pedi.  
 25 Nec tamen admittit motus dolor efferus ullos.  
 26 Sed super obversas ire videmur acus.  
 27 Non facit officium repetito tibia passu,  
 28 quo tot inexhaustus milia cursor ii,  
 29 artubus ut tritis Phaedrae privignus anhelat,  
 30 quem male currentes diripere rotae :  
 31 sic fragmenta crepant urgentia morsibus intra,  
 32 trita velut magnus ruperit ossa fragor.  
 33 Quis tamen hoc antris monstrum produxit Avernis ?  
 34 Plenior Eumenidum forsan ut ordo foret.  
 35 Tot Pandora malis implevit atrocibus orbem,  
 36 quot mala vix numero computet una dies.  
 37 Deerat invisio facies haec una triumpho,  
 38 quae claudos faceret verberis igne viros.  
 39 Non tamen hoc veteres scelus agnovere Latini,  
 40 Romula quod nulla natio voce notat.  
 41 Nec dedit huic pesti felix Germania nomen,  
 42 si quod habet, Graiae gentis ab arte refert.  
 43 Cui sua fecerunt molles agnomina Graeci,  
 44 cur loca mutata, nostra, parente petis ?  
 45 Quidve tibi tortrix immansuetissima mecum ?  
 46 Non mea splendenti mensa parata gulae est.  
 47 Nec mihi delicias et lauta repotia posco,  
 48 qualia morborum pabula luxus amat.  
 49 Otia nec sector, nisi si qua vacantia musis  
 50 indulgent operis, Phoebe Poeta, tuis.  
 51 Ipse nec enervat vires uxorius ardor,  
 52 in thalamum penetrat non Venus ulla meum.  
 53 Non insanus amor juvenilia robora frangit,  
 54 ira furore licet multa volante redit.  
 55 Hunc ego non possum studiis avertere morem,  
 56 res levis in rapidae fulmina bilis abit.  
 57 Nec refero monimenta nepos gentilia, portat  
 58 morbus hic ex atavis nulla trophaea meis.  
 59 Ipse pater, lustris decies ac pluribus actis,  
 60 Alcoranicolum miles in agmen iit.



61 Grandis erat, nivibusque comas infectus ab aevo,  
62 (Aula senescentem Regia novit) avus :  
63 integer et nullis vitiatus membra podagris,  
64 Cum sacra Wolffgangi viseret ossa pedes.  
65 Ossa jugis adeunda feris et vertice duro,  
66 Norica qua salsus terminat arva liquor.  
67 Maternis profitetur idem non degener ortus  
68 sanguis, ad extremos si repetatur avos.  
69 Si tamen exquirenda novae tortricis origo est  
70 quaeque sit exortis causa caputque mali :  
71 noster id invisae totum dolor imputat urbi,  
72 Hispida cui rigidum spicula tergus arant.  
73 Cui ne perpetuum Rhamnusia vulnus inurat,  
74 tincta verecundo musa pudore vetat.  
75 Hic ego, discentes dum cultibus imbuo rectis,  
76 immodicum faciens arte magister opus,  
77 motibus exactis cum dura molestia cessat,  
78 talia contritus vina labore bibi :  
79 lurida quae teneris caementa sub artubus abdunt,  
80 ultima perniciēs gressibus unde venit.  
81 Adde quod hic rerum vitiis primordia rancent,  
82 aura, solum putei semina pestis alunt.  
83 Foetida tota, cibus laticem quae praebet et offas,  
84 de bufonipara ducitur unda lacu.  
85 Turbidus est nebula stagnisque palustribus aer,  
86 is vapor in morbos solvitur inque gelu.  
87 Pro nucis Ausoniae fetu pro mitibus uvis,  
88 baccas fullo rubi cornaque dura legit.  
89 A fame securos oleris vindemia praestat  
90 indigenas, teneris fructibus ora caret.  
91 At non ulla pedum citius retinacula solvunt,  
92 aut praesente magis toxica peste nocent,  
93 quam Phlegethonteo medicatum sulphure Bacchum,  
94 mixta vel obscaenis faecibus hausta dari.  
95 Limpidus ingluvie procerum praecerpitur humor,  
96 relliquiae venum civibus urbis eunt.  
97 In nova transformat veterem mixtura Lyaeum  
98 mustea, pars artis venditor illa tuae est.  
99 Hi sunt quos pariunt urbi monopolia fructus,  
100 sic agit arbitriis curia freta suis.  
101 Approbat ebrietas fullonia quidlibet : esto,  
102 agricolamque labor faecis acore levat :  
103 haud genus omne virum limo provenit eodem,  
104 pasta perexili pulvere creta sumus.  
105 Nec mihi conveniunt, si quae venalia plebi,  
106 pravus in obscuro fornice caupo liquat.  
107 Novi ego qui veterem Bacchi suspendit amurcam,  
108 inde superfusa cola replevit aqua.  
109 Quique reluctatur lotis e sordibus humor,  
110 sentinam reliquis intulit iste cadis.  
111 Melle saporatis idem superimbuunt undis  
112 vina, volat toto res ea nota foro.  
113 Ne referam nivei lactis quot adulter in aegrum,  
114 simplice pro Baccho, dolia, vulgus agat.  
115 Haec adeo conflavit opes versutia grandes,  
116 quas tamen infami possidet ille nota.  
117 Ipse magistratus satis haec scelera edita novit,  
118 cura lucri partes dissimulantis agit.

119 Comoda privatae cedunt communia frugi,  
120 Poenaeque consortes criminis una manet.  
121 Sulphuris inferni flammam sorbebit obustus  
122 caupo, senatorum conscius ordo picem.  
123 Hinc nostri scaturigo mali, validique vigoris  
124 fluxit ab hoc uno prima ruina lacu.  
125 Jamque novas sedes caelumque salubre tenebam,  
126 mutato vegetus liberiorque situ.  
127 Cum me vah hominum raptor Cacus egit eodem,  
128 rursus ut instauret pestis alumna vicem.  
129 Et quod conveniens in me correxerat aer,  
130 vertat in antiquum noxa locusque chaos.  
131 Corruptae natura plagae per corpora tranat,  
132 pro libitu varians exuperata suo.  
133 Herba soli vitio quondam translata laborat,  
134 quaque sedet, fundi carpitur arbor aquis.  
135 Marchia me caelo genitum nutritivo amoeno  
136 dives, ad aetatis bis duo lustra meae.  
137 Quatuor aut plures illic exegimus annos,  
138 qua labefacta movens arva Silesus arat.  
139 Dum me Dresda nitens et Lipsia dulcibus oris  
140 alligat, a decimo tertius annus abit  
141 nulla tamen regio nostra famosapodagra est :  
142 orta nec e potus damna rigore queror.  
143 Ister amice tuas vites, tua munera laudo,  
144 illaque Pannonicis hausta creata jugis.  
145 Omnes indigenae quae cum fortissima dicant,  
146 corporis ingenio nil nocuere mei.  
147 Urbs igitur nostri certissima causa doloris,  
148 haec mihi pro fida praemia merce refert.  
149 Hic operosa pii statui monumenta laboris,  
150 tu nostrae titulum debilitatis habes.  
151 O scelus atque nefas, o non nisi digna vocari  
152 vitae pernicies exitiosa meae.  
153 Heu Nemesis, quid adhuc poenam cunctata retardas ?  
154 Numinis huc totis viribus usa veni.  
155 Effuge desertos mecum gens advena tractus,  
156 quam generat teneris aura benigna plagis.  
157 Toxica pro vino carpis ; Ganymede scelesto,  
158 nec sine praesenti clade bibuntur aquae.  
159 Expertus queror, et nimium post propria sero  
160 damna, necaturos, clamo, cavete situs.  
161 Ad tua nunc igitur consulta revertor, amice  
162 doctor, et ad vires, herba magistra, tuas.  
163 Quicquid in arte bona possunt promittere musae,  
164 huc precor in cumulum candor amicus agat.  
165 Nulla parum memores unquam nos arguet aetas,  
166 perpes Apollinei fama laboris erit.  
167 Nec tamen, ut diris angar cruciatibus artus,  
168 aegraque tormentis utraque planta gemat :  
169 tam validus misero quisquam persuaserit auctor,  
170 ut genitiva scabra forfice membra secer.  
171 Cous enim nervi cassos virtute virilis  
172 vexari podagrae, doctor, acore negat.  
173 Perdit et oblectat Veneris jucunda voluptas,  
174 hanc ego tardigrada cum lue malo pati,  
175 quam dulces nescire tori stipendia natos,  
176 quaeque maritalis gaudia candor habet.

177 At si posse malo ratio praecisa mederi est,  
 178 quamque miser foveo specula litus arat :  
 179 huc ades, alloquio saltem solare jacentem,  
 180 instar habet medicae sermo fidelis opis.  
 181 Dum loquor et nugis abigo momenta, videtur  
 182 lenius et levius membra ferire dolor.

EIDEM D. EBERSTORFERO Medico praestantissimo. ELEGIA XIV.

E1\_14 v.1 Visus eram dubia sub luce reposcere somnos,  
 2 Herculis Eoos cum cit alumnus equos.  
 3 Jamque labascebat placidae palpebra quieti,  
 4 ecce petens aditus astat Apollo meos.  
 5 Atque ait : Interpres summi Jovis atque deorum,  
 6 perfer ad insignem nuntia missa virum.  
 7 Vade age, parva via est - Quo me, quo miseris ? inquam ;  
 8 non ego sum Maiaie filius atque Jovis."  
 9 Phoebus ad haec ridens : "Igitur talaria gestans,  
 10 cur caduciferi signa volucris habes ?  
 11 Non hae sunt agiles alae, sed vincula, dixi,  
 12 obsita compedibus cruscula vinxit Amor.  
 13 Factus Acidalio quia sum fugitivus Amori :  
 14 perge, brevem carpes, inquit Apollo, viam.  
 15 Quo tibi non licet, huc fas ire pedestribus odis,  
 16 haec igitur nostro nomine jussa feres.  
 17 Dignus in eximiis Eberstorfferus haberi,  
 18 natali est hodie pulcher ovatque suo.  
 19 Nos Antenoreis quem nutricavimus hortis,  
 20 Paeonii doctum mystica sacra chori.  
 21 Quicquid habent operum monumenta sagatia frugis,  
 22 Phillyridae felix aemulus ille sapit.  
 23 Exercetque manu solerte viriliter artem,  
 24 quae vacat in laudes ars operata meas.  
 25 Ac quia me teneris sancte veneratur ab annis,  
 26 praemia pro cultu jure petita refert.  
 27 Mille potestates radicum novit et usus,  
 28 pharmaca quaque velint dexteritate regi.  
 29 Scit bene salvificis panacaea valentia succis,  
 30 quaeve sit ambrosii nectaris herba capax.  
 31 Hinc ea corruptis medicandi certa facultas,  
 32 et validae virtus ingeniosa manus.  
 33 Huic igitur faustum, me vate, precaberis omen,  
 34 Stant rata natali vota soluta die.  
 35 Si quid habent alto, virtutis, euntia tractu  
 36 sidera, et aurato quae vocat axe jubar.  
 37 Digna coli medico lux haec : medicator ab ortu  
 38 Delius et Chiron convenienter eunt.  
 39 Altius auspiciis sese vulgaribus effert,  
 40 quem meliora situ signa favente beant.  
 41 Grande magisterium maturis exiget annis,  
 42 qui vel adhuc juvenis tam sapienter agit.  
 43 Me duce, pestiferum morborum proruet agmen,  
 44 sentiet optatam debilis aeger opem.  
 45 Huic sua committent aegroti corpora reges,  
 46 largaque pro certa dona salute dabunt.  
 47 Nota fides pietasque viri, qua sidera pulsat,

48 nomen ab interitu non patientur edi.  
 49 Usque reservabit viridem per saecula palmam,  
 50 divitis ingenii salvificaeque manus.  
 51 Et quaecumque parant meritis a funere laudem,  
 52 docta secundato musa favore dabit.  
 53 Haec superum benedicta datasque ab aruspice sortes,  
 54 pro calami referas more Poeta tui.  
 55 Auguriumque meo felix gratare nepoti,  
 56 per natalitiae gaudia lucis opus.  
 57 Esse poetarum communia numina nosti  
 58 Cum medicis, motus utraque musa mei est.  
 59 Nec nisi pura Deus verax oracula promo,  
 60 quaeque per effectus sunt valitura suos.  
 61 Dixerat : intentos visus cum voce relinquens,  
 62 cumque Deo liquidae fugit imago rei.  
 63 Et jam clara nitens alto fulgebat Olympo,  
 64 caelitis Andreae nomine festa dies.  
 65 Haec eadem monuit dubium, non omnia, pulsans  
 66 si qua soporatos, visa, carere fide.  
 67 Accipe nunc ergo quae non tibi scriptor Abelus,  
 68 ipse sed haud fallax augur Apollo dedit.  
 69 Approbet eventum laetatus, et omina firmet  
 70 auctorem medicae quem profitemur opis.  
 71 Ille recurrentes hilaro tibi sospitet annos,  
 72 detque maritali pignora bella toro.

DE THERMIS AUSTRIACIS, adeundem D. Eberstorff. ELEGIA XV.

E1\_15 v.1 Nympha saporato quae tingis alumine fontem,  
 2 unde salutare eliciuntur aquae :  
 3 nobile nympha genus, medicae virtutis asylon,  
 4 vena medullari cujus ab igne calet.  
 5 Cum tibi sint vires, quas exterus hospes Olympo,  
 6 accolaque indigeno turba canore vehit,  
 7 tollere pallentes per inertia corpora morbos,  
 8 aut ubi scabrities asperat aegra cutem.  
 9 Prolis amatrices seu fecundare puellas,  
 10 et dare felici pignora cara toro.  
 11 Nunc, age, praestantem te promere posco scatebram,  
 12 neu tua, quam ructas, unda feratur iners.  
 13 Ede salutiferos mitissima Nympha calores,  
 14 utile prolifici profer acoris opus.  
 15 Dum bonus auguriis Eberstorfferus ad amnem,  
 16 tingere Paeonio membra liquore, venit.  
 17 Ille sacra late notissimus arte medendi,  
 18 nam regit artificem doctor Apollo manum.  
 19 Ad latus incedit decus, ecce, juvenula matrum,  
 20 uxor honorati pulchra corona viri.  
 21 Par bene conveniens, ex quo laudabile morum  
 22 debuit exemplum sumere vita bijux.  
 23 Difficilis sobolem sed adhuc natura negavit,  
 24 haec est feminei prima querela gregis.  
 25 Nympha trahens ortus imae telluris abyso,  
 26 ut calidi arbitrium jusque fluentis habes :  
 27 accipe suffitu juvenilia corpora molli,  
 28 prolificaque duos fertilitate bea,

29 blanda maritorum ne sit sine fruge voluptas,  
 30 in spem sed generis convenienter eat.  
 31 Effice, quae cursus fors huc suscepit inanis,  
 32 insolito redeat loeta tumore domum.  
 33 Si potes, et nondum vis exantlata lavacri est,  
 34 famaue ficticia non tibi laude favet.  
 35 Huc ades, et totas effunde vigoris habenas,  
 36 materies ope non dignior ulla tua est.  
 37 Confer, odoratis dum deliciantur in undis,  
 38 fomitis intus alit si quid origo boni.  
 39 Quicquid habet succi fornax occulta salubris,  
 40 huc, age, laxato bulliat omne sinu.  
 41 Haec fecundantis pariet tibi nomina rivi,  
 42 res eadem plausus ansa recentis erit.  
 43 Ad tua formosae properabunt balnea nuptae,  
 44 quas matres fieri causa molesta vetat.  
 45 Ductantes secum sua gaudia certa maritos,  
 46 quo referant utero dulce parentis onus.  
 47 Neu te salvificae pigeat virtutis in illas,  
 48 grandior hic omni est arte fideque dolor.  
 49 Quoque magis gracilem sexum sors orba fatigat,  
 50 hoc operae pretium pulchrius inde feres.  
 51 Quid tua praestantes memorem consortia nymphas,  
 52 quas facit e superis ille vel ille graves ?  
 53 Crede mihi, cogit quae numina vestra cupido  
 54 gignere, nostrates plus juvat illa nurus.  
 55 Non tamen in quasvis opus est suffiminis usu,  
 56 sponsa nec auxilii quaelibet hujus eget.  
 57 Novi ego, quae peperit, quam nupserat ante, sed istud  
 58 symbolon eximiae fertilitatis erat.  
 59 Talibus a sponsis claudas fomenta licebit,  
 60 oppositaque premas pharmaca dia sera.  
 61 Prome bonos aestus, vi casus amantibus obstat,  
 62 non bene dispositis et medicare locis.  
 63 Veceris optati si me, ceu spero, potentem,  
 64 nobile thermarum quae moderaris opus :  
 65 non ego te mutis celebravero versibus absens,  
 66 ad tua ferventes regna vehemur aquas.  
 67 Haud mea defectu gignendi cura laborat,  
 68 hausta sed infirmis cruribus apta peto.  
 69 Pes facit optatae Veneris me rebus ineptum,  
 70 hanc properes furiam demere, fortis ero.  
 71 Rejuvenescentem me Gazula, pristinus ardor,  
 72 accipiat tepido calfacietque sinu :  
 73 suffultum renova mirabitur indole robur,  
 74 tam longa nihilum consenuisse mora.  
 75 Si quid amica valet musis industria, per me  
 76 ultra Sauromatum litus agere stylo.  
 77 At tu vota prius pro castis fusa maritis  
 78 exige, post alio sedula transfer opem.  
 79 Fautorem redituque meum felice saluta,  
 80 fluminis effectu, nympa benigna, tui.

AUGUSTINO A LIDLAU, ...ex itinere domum reverso. ELEGIA XVI.

2 cum Juditha rediit, par geniale, domum.  
 3 Gratulor incolumi, neque me spes irrita lusit,  
 4 arguor eventu, vota ferire Deum.  
 5 Haec quia nuper erat votorum summa meorum,  
 6 Lidelio bene sit tempus in omne meo.  
 7 Vivat io, musisque diu se praestet alumnum :  
 8 En jubet optatis numen inesse fidem.  
 9 Stant rata dicta : nec hoc pacti servantior alter,  
 10 quive minus falli spem bonitate sinat.  
 11 Edite gratificos, musae mea numina, plausus,  
 12 clangor ovabundo gutture dulcis eat.  
 13 Pangite quod repetens impulsa reciprocet Echo,  
 14 voce repercussum pocula murmur agant.  
 15 Serta virent, stat opimus abax et Iacchus in auro,  
 16 lauta reportato coena triumphat hero.  
 17 Inter honoratos Eberstorferus amicos,  
 18 dives Apollineae gloria classis adest.  
 19 Ille, Machaoniae sacra, quem, mysteria gentis,  
 20 Pallas in Aoniis vallibus ipsa docet.  
 21 Non ut aromaticas hic cuiquam praebeat offas,  
 22 nemo saporati magmatis usus habet.  
 23 Sed mecum reduci vultus ostendere, quales  
 24 cultor Oresteae simplicitatis amet.  
 25 Se quoque Martinus comitem gratantibus addit  
 26 o mihi sincera pectora nota fide.  
 27 Este susurrone ; semissis turba, remoti,  
 28 inter nos Charitum candidus ordo sedet.  
 29 Tuque, soles gestus qui carpere torvus amoenos,  
 30 udaeque liberuis vespera si quid agit,  
 31 Livor abes : tuque o abstemia ruga Catonis,  
 32 non datur hic stomachum quae juvet esca tuum.  
 33 Neu facit huc quem Clitoria fons imbuit unda :  
 34 una tamen, Como non renuente, veni.  
 35 Quae licet Ausonias matres imitaris aquando,  
 36 cuncta soles lepidis vivificare jocis.  
 37 Ecquod erit tempus, numero cum ludat in illo,  
 38 cujus in amplexum liber amator eam ?  
 39 Musica dulce bonum, quid adhuc tardata moraris ?  
 40 Hinc operae pretium barbitos icta feret.  
 41 Tende fides, bone vir, Pygmeae matris alumnum,  
 42 huc Palamedeae quem tulit ala gruis.  
 43 Lidelio geniale parat domus hospita festum,  
 44 omne penu domino, quod remearit, ovat :  
 45 nosque reductitio faciles gratamur amantes,  
 46 cura vale, mentes exhilarante mero.  
 47 Scriptor ego musa plausus stimulante ciebo,  
 48 inter, amabilior, pocula versus abit.  
 49 Ludamus, sunt hic etiam sua praemia ludo,  
 50 cras redeat, si quis seria lector amet.  
 51 IN DANUBII PERICULIS ad Deum.  
 52 Angustae e latebris animae tua numina supplex  
 53 posco, sali freta quo mota nuente silent.  
 54 Respice me tristemque statum trepidumque clientem,  
 55 talibus exsequiis ne patiari mori.  
 56 Dum me fluctus atrox glaciesque resultibus urgens  
 57 tundit ad afflictatae linitris utrumque latus.  
 58 Fragmina volvuntur, crepit aestibus Ister anhelans,  
 nec retinet quamvis trusa phaselus iter.

59 Imus et abripimur quo frustra natantia volvunt,  
 60 quoque feror rapidae mortis imago strepit.  
 61 Turbo dat eversum trepido celer impete cymbam.  
 62 Motibus et rumpi sutile certat opus.  
 63 Christe potens omni qua cardine vertitur orbis,  
 64 sospes ut in medio pisce Propheta probat :  
 65 arrige conspectum, neque me da piscibus escam,  
 66 justa meum, nosti, causa coegit iter.  
 67 Ire sines inter ? Qui non ignota deorum,  
 68 sed tua sollicita nomina clamo fide.  
 69 Esto nunc pacator, et hos bonus ore tumultus,  
 70 in placidas propere coge redire vices.  
 71 Tu mihi Fortunum praesenti numine praesta,  
 72 quo simul et caelos et moderaris aquas.  
 73 Incolumi liceat motus evadere tantos,  
 74 tangere servato da sola sicca pede.  
 75 Nemo sub insanis meditatur fluctibus hymnum,  
 76 lingua Deo grates si qua rigescit agat ?  
 77 Si laudis tibi fama tuae, si gratia cordi est,  
 78 eripe, viventes in tua sacra vacant.

"Agathoi d'aridakrues andres" ELEGIA XVII.

E1\_17 v.1 Quam facile e laeso destillant palmite guttae,  
 2 et cito nix in aquas sole liquata redit :  
 3 tam facile erumpunt generoso e pectore fletus,  
 4 et vox in lacrimas commiserantis abit.  
 5 Christus in exemplo est : poenas meruere feroces,  
 6 illa redemptori gens inimica Deo.  
 7 Nec vindicta viros oppresserit aequior ullos,  
 8 quam quae judaicum pordidit ira genus.  
 9 Venit amans hominum populo donare salutem,  
 10 tradit amatorem stirps adamata neci.  
 11 Flet tamen et longos differt examen in annos,  
 12 praeque cavere malum, quod meruere, monet.  
 13 Tanta capit nostrae dominum miseratio cladis,  
 14 nec subito missi fulminis igne tonat.  
 15 Ante modos omnes medici pertentat, et omnem  
 16 quo valeat miseros eripuisse, viam.  
 17 Nunc igitur nos flere decet, dum certa salutis  
 18 spes superat, nec dum summa ruina premit.  
 19 Felices lacrimas veniae quibus exstat asylum,  
 20 gratia quas patulo suscipit alma throno.  
 21 Supplicat hei tarde, frustra que levamina poscit,  
 22 cum fuit arbitrio libera flamma Dei.

EPIGRAMMA.

23 Stabat apud Phoebi vigilem portator asellus,  
 24 huc leo quadrupedum rex quoque fecit iter.  
 25 Rupit ut intensam gallus modulamine vocem,  
 26 dat leo ceu rapido territus hoste fugam.  
 27 Viderat hunc asinus vertentem terga canenti,  
 28 et tacite secum deliciatus ait :  
 29 quae pavet imbellem dominatrix bellua gallum,  
 30 increpitante mea est quin moritura tuba ?  
 31 Sic ait, intrepidi pressitque fugacia regis  
 32 terga, gradu tardum, quadrupedante, pecus.

33 At leo conversus ; non me, ignavissime, terres :  
 34 gallus et hostili vox premit alta metus.  
 35 Dixit : et insulsum rapiens eviscerat hostem,  
 36 gloriaque in sordes vana rudentis iit.

**MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI ELEGIARUM Liber Secundus.**

AD D. CHRISTOPHORUM Pelargum. ELEGIA I.

E2\_1 v.1 Fluctibus et ventis ergo sum credere vitam  
 2 ausus, et infidi monstra videre maris ?  
 3 Sustinui celeres moriendi accersere causas,  
 4 exulet e solida mors velut omis humo.  
 5 Paenituisse ferunt agili transisse carina,  
 6 tramite quo tellus utiliore patet.  
 7 Nomen amicitiae lucis mihi sanctuis usu,  
 8 candor et hoc niveus conciliavit iter.  
 9 Fratris ob ardorem vitae non parcere laus est :  
 10 improbet officii non eris ipsa genus.  
 11 Tempus agebatur, cum florifer indole veris  
 12 mundus, ut arrisu virginitatis, ovat.  
 13 Jam calor in culmum segetes porrexit, et omnis  
 14 solibus optatis luxuriabat ager.  
 15 Haec caeli facies dominatur in aequora ponti,  
 16 atque profecturis classibus illa parat.  
 17 Nauta peregrino convectas litore merces,  
 18 portet ut in Zephyros ex Oriente, legit  
 19 Centaurique onerat praegrandi pondere costas,  
 20 vix tot opes vastus robore gestet Atlas.  
 21 Desidet ille vocatque Notos, Eurumve moratur,  
 22 flabraque de media quae regione volant.  
 23 Tum quoque subtracto gravis ancora fune soluta est,  
 24 puppis et ex una parte pependit onus.  
 25 Ostia dixerunt Travae, celeberrimus amnis  
 26 hic sua Neptuni cornua miscet aquis.  
 27 Trava Lubecorum statio optatissima nautis,  
 28 velivolum capit hinc, sistit et hospes iter.  
 29 Litus ad Hesperium speculatrix vertice turris  
 30 prostat et assidui lychnion ignis alit.  
 31 Lumen ut indicio nantas perducatur ad urbem,  
 32 si pelago caecae tempore noctis eant.  
 33 Finibus his solvens in apertos carbasa ventos,  
 34 puppis ad aurorae limen itura, dedit.  
 35 Vela volant alte ventis tumefacta secundis,  
 36 pone fugit visus terra relicta meos.  
 37 Jam caelos et aquas magni duo corpora mundi  
 38 dixeris, excluso, regna tenere solo.  
 39 Si qua procul regio se visibus obdit acutis,  
 40 contiguam liquidis nubibus esse putes.  
 41 Nulla tamen stomacho ructavit nausea nostro,  
 42 quae solet insuetos multa gravare viros,  
 43 Nox nec amara fuit, neque taedia longa dierum,  
 44 Amphitritigenis exhilarabar aquis.



45 Crebra notaturis praebent spectacula phocae,  
46 bellua Nereia proserit arce caput.  
47 Et fluit alludens obeuntia robora circum,  
48 gaudeat hospitibus sicut amoena suis.  
49 Credo equidem pisces et abyssi monstra profundae,  
50 quicquid et Oceani regia gentis habet :  
51 navibus aspectis mirari, et poscere divos,  
52 aequoreas hominem carpere posse vias.  
53 Insula laevorsum caput aequore montis ad instar  
54 proserit, evecto conspicienda situ.  
55 Arguit hic populos requiem captasse vetustos,  
56 Rugia nomen enim lene quietis habet.  
57 Terra ferax olim praestanti Marte virorum,  
58 quos vel adhuc duri Teutonis ora canit.  
59 Contra Sundavia est, Graiis quae dicitur Isthmos,  
60 hunc quasi per callem puppis agenda fuit.  
61 Dexter habet situs ingentem viridissimus urbem,  
62 portus eam scita commoditate beat.  
63 Ipsa loci ratio nomen defendit : at illi  
64 nescio quis Suno fingitur esse parens.  
65 Non rosa Rostochio praebent divortia nomen  
66 aequoris, et ruptae creber hiatus humi.  
67 Sunt loca caeca vadis, syrtes dixere vetusti,  
68 alta sub offuso surgit arena vado.  
69 Incidat in talem si classis adacta saburram,  
70 dat latus, et magnam fixa requirit opem.  
71 Talis erat ponti facies, qua dividit agros  
72 rugia cum silvis gens Pomerana tuis.  
73 Propter id avertit cursus ambage viarum,  
74 qui (comes) in salsa nauta palude natat.  
75 Haesimus hic etiam, sabulo retinente profectos,  
76 immotaque stetit firma carina basi.  
77 Illa dies docuit, quam robore certior extet,  
78 artificii, ratio, subveniente manu.  
79 Praepete successu cursus porreximus ultro,  
80 ulla nec est agilem causa morata ratem.  
81 Spiritus alme Deus, tua festa diemque sacrabam,  
82 sensibus inque tuo numine totus eram.  
83 Cum mihi subjecit pietas, ab origine prima,  
84 halitus ut Domini foverit auctor aquas.  
85 Quando vehebatur miti super aequora flatu,  
86 Unde salo virtus fluminibusque manet.  
87 Aura Dei consors, inquam, spirabilis ardor,  
88 omnia qui vivo viva calore facis :  
89 quem Deus immensi fundens Euphratis ad instar  
90 corda salutifero pignore fida beat.  
91 Nunc quoque fortuna liquidos, placidissime, cursus,  
92 dum procul a quovis litore vectus agor.  
93 Quique gubernabas motus et aplustria ceti,  
94 cujus ab immani ventre Propheta redit.  
95 Te sator humani gregis alter odore colebat,  
96 cum domus arca viris omnibus una foret.  
97 Ipse regis mentes hominum qui talia fingunt,  
98 vector ut ilignum proroget Euris opus.  
99 Textile velificans et figens ancora puppim,  
100 numinis instinctu sunt fabrefacta tui.  
101 Dulce Dei donum sapientia : scilicet isthaec  
102 in tantas Solomon exuperavit opes.

103       Hac duce postremos misit dominator ad Indos,  
104           regna peregrina qui sua merce juvent.  
105       Sic adeo latis hinc atque hinc tractibus orbis,  
106           dissita salvificam concipit ora fidem  
107       Christus adit verbo gentes, Ecclesia crescit,  
108           omnis et it verum lingua professa Deum.  
109       Haec eadem Paulum vas nobile causa coegit,  
110           ire per Aegaei monstra vicesque maris.  
111       Graecia ficticio pro numine discit Iesum,  
112           e Capitolina Juppiter arce fugit.  
113       Curva Redemptorem mundi scapha transvehit ultra,  
114           nullius ipse licet lintris haberet opus,  
115       qui mare calcatum sicco pede transit, et olim  
116           cedere de propria sede fluenta jubet :  
117       imperat et ventis, et si quid atrocius illis,  
118           haec mea ni fallor res meditantis erat.  
119       Tam repetens obitus prono temone parat Sol,  
120           tollere nocturna gesta diurna mora.  
121       Cum fortuna tulit Statinos tangere portus,  
122           urbs vi de pasta nomen adepta gerit.  
123       Vel magis a tuta statione vocabula finxit  
124           navita, longinquae gentis ab orbe redux.  
125       Musa vetustatem fastis collecta probatis  
126           arguit, extructi commoditasque loci.  
127       Odera, quem Viadrum populi linguaeque vetustas,  
128           vocis et articuli, nescia, clade vocat,  
129       ducit ut exiguos Moravis e finibus ortus,  
130           diluit incurrens hic vada curva sali.  
131       Haec maris et fluvii late spatiantis ob agros  
132           gratia, communis prima corona rei est.  
133       Emeruit pulchramque duces hic figere sedem,  
134           sub quorum regio subdita jure viget.  
135       Jamque dies ierat, pulchrumque reduxerat Eos  
136           tertia, contacta dum retinemur humo.  
137       Denique cum Viadri remeabilis ostia linquens,  
138           litus arenosi lintribus, amnis, aro.  
139       Remigio vadens adverso flumine lembus  
140           et mihi quadrigas et mihi praestat equos.  
141       Ripa duplex inter legitur variantibus umbris,  
142           mollis et e silvis taedia lenit odor.  
143       Mite genus volucrum cantu lascivit ad aures,  
144           et patrium strepero promit ab ore melos.  
145       Praecipue regina gregis Philomela canori,  
146           sera sub illustri cymbala nocte ciet.  
147       Garrit et in stagnis Lycii genitura coloni,  
148           blanditiasque sua balbutit arte merops.  
149       Mille serunt aliae vocum discrimina rostris,  
150           tale quis ingenti dote pararet iter.  
151       Ipse tot aerumnis pridem confectus et aevo  
152           grandior, ut merito scamna quietis amem :  
153       hos tamen excursus relevaminaque apta viarum,  
154           delicias soleo saepe vocare meas.  
155       Corpora seu recreat mutatus et alterat aer,  
156           sive recens animis provenit inde vigor.  
157       Mente novos certe sensi me carpere motus,  
158           quot peregre vicibus tempore veris ii.  
159       Ipsaque nos adeo mundi natura creatrix,  
160           ad sua spectatum gaudia more ciet.

161 Longa sat ignavae tulimus fastidia brumae,  
 162 cum niger ante focum lumina fumus edit.  
 163 Cum nox ampla situ, cum nubila spissa dierum,  
 164 semina morborum per grave corpus alunt.  
 165 Expertus queror, et mensis modo tertius exit,  
 166 quas mihi tunc peperit rheuma geluque cruces ?  
 167 Dania me vidit calida fornace latentem,  
 168 aeger in ambiguo pene salutis eram.  
 169 Curva bis in sese coierunt cornua Lunae,  
 170 quassat ut exhaustum tussis et asthma laterus.  
 171 Viribus ingentem peperit dolor iste ruinam,  
 172 vix vel adhuc videor redditus ipse mihi.  
 173 Nec mihi cura fuit praesto : medicamina gentis  
 174 larda, vel e salso concha petita lacu.  
 175 Ipse licet pernam didici quoque mandere tutus,  
 176 in succos abeunt haud tamen ista bonos.  
 177 Cruda vorent vultur, lea dira, lupique canesque,  
 178 et quorum rabies assuefacta fero est.  
 179 Nos bona formavit limo natura tenello,  
 180 visceribus melior convenit esca meis.  
 181 Hospitio sed enim fretus clemente jacebam,  
 182 signa voluntatis gratus amica probo.  
 183 Morborum requiem, lenimentumque catarrhis,  
 184 vina precor penui semper adesse meo.  
 185 Massica defuerint, jam sum satis aeger, et aegro  
 186 officium medici vina fidelis agunt.  
 187 Horrida tempestas, et quicquid adulterat uvam,  
 188 hinc abes, et nullum vitibus affer onus.  
 189 Monstratore, Deus te, quo viticula venit,  
 190 prisca temporibus progenerata Noë,  
 191 da bona musta precor, crescant sine labe racemi,  
 192 pectoris excutiant hausta meraca Notos.  
 193 Si quis et est bruto nectar qui gutture perdit,  
 194 pessima pro vini, toxica, flore bibat.  
 195 Scilicet in tales haud condidit auctor abusus,  
 196 lene salutaris numen opemque meri.  
 197 Sive quis affuso tingit baptismate Bacchum,  
 198 qualibet aut teneris gustibus arte nocet :  
 199 hauriat inferno medicatas sulphure faeces,  
 200 epice torrenti tempus in omne lacu.  
 201 Marchia pulchra situ jam dulcibus adnatat oris,  
 202 Marchia multiplicis jure verenda boni.  
 203 Quae mihi cum cunas dederit cultumque Minervae,  
 204 ingenio tanto gratior illa meo est.  
 205 Perpetua memores mulcet dulcedine motus,  
 206 nec sinit oblito sensa stupore trahi.  
 207 Pace tua Pannon et Rhene tenerrime dicam,  
 208 Albis et egregiis o mihi pulcher agris :  
 209 sunt et honoratis Viadri confinibus urbes,  
 210 dulcis et e nostris collibus uva rubet.  
 211 Sunt exsertantes capita exornata puellae,  
 212 forsitan ut vobis copia major abest.  
 213 Et mores placuere mora, Venus afflet amores,  
 214 o mihi jam curis pene sepulta Venus.  
 215 Dum bene maturos tendo cunctator in annos,  
 216 nec Coryleta mihi nec Polyphylla placet.  
 217 Haec meditatus, aquae viridis divortia miror,  
 218 et sinuans in quot brachia flumen eat.

219 Omnia quae denso discrimina pisce natantur,  
 220 et simul immensum margine gramen alunt.  
 221 Farra serit siccis operosus arator in arvis,  
 222 insula dat pecori cincta fluente cibos.  
 223 Vite nitent colles, praebent alvearia silvae,  
 224 ostentatque suas pomifer hortus opes.  
 225 Virus abest agris, infestaque vipera morsu,  
 226 si quod inest, omni reptile peste caret.  
 227 Nec piger halitibus letalibus aestuat aer,  
 228 gleba ferax caelum mite, salubris aqua est.  
 229 Ponere membra licet quacumque sub arboris umbra,  
 230 nec, nisi forte culex, insidiator erit.  
 231 Has quoque ducturis angusta nocte soporem,  
 232 flamma vaporque sequax disiciebat acus.  
 233 Jamque iter excursum est, obiterque tot acta retrorsum  
 234 oppida, Francorum jamque propinque vado.  
 235 Quae mihi natales urbs inclita praebuit ortus,  
 236 ingeniique graves eloquiique duces.  
 237 Quos mihi non animus tacitis attingere velis,  
 238 sed medium requies defuit inter opus.  
 239 Equibus illustrem memoro cum laude Sabinum,  
 240 Marchia quo non fert clarius ora decus.  
 241 Primitus hic parvo stillavit in oscula nectar,  
 242 Unde prius plenis faucibus ipse bibit.  
 243 Aoniumque praeiuit iter, sed, ductibus uti  
 244 hisce, queror, puero non licuisse diu.  
 245 Inclita Schofferi successit musa poetae,  
 246 cujus ego cineri mollia fata precor.  
 247 Huic fueram vati, quod et is fuit ante Sabino,  
 248 Aonias sitiens acer ephebus aquas.  
 249 Auctor in his gracilis bonus ille Copernicus odae,  
 250 Pieriam puerum jussit amare chelyn.  
 251 Ne loquar Abdiae late memorabilis usum,  
 252 quem vel adhuc pietas recta latere vetat.  
 253 Nos meritis et honore gravis Cornerus et aevo,  
 254 Ausonio docuit cum Cicerone loqui.  
 255 Legibus erudiit juvenem Schraderus : at artes  
 256 Paxmano logicas erudiente tuli.  
 257 Hoste tibi Graiae refero commercia linguae,  
 258 Iliadem studiis debeo nempe tuis.  
 259 Haec eadem vates mihi conciliaverat aetas,  
 260 qui nostrae minimum laudis et oris egent.  
 261 Celichum cui grande melos, cui carmina caelo  
 262 digna, stylo, Pallas, sufficiente parit.  
 263 Praestitit Haslobius mihi tunc quoque junctus amorem,  
 264 ipse viro Pollux , is mihi Castor erat.  
 265 Nulla dies tanti corrumpet foedera nexus,  
 266 solvet amicitiae vincula nulla dies.  
 267 Dum loquor et studiis quae sunt antiqua revolvo,  
 268 flebilis offensis auribus aura venit.  
 269 Sauciat ingenti me fama gravissima luctu,  
 270 dum volat hei maestae nuntia facta rei.  
 271 Et canit, immitis fati cecidisse ruina,  
 272 Haslobium psalten, Marchia cara, tuum.  
 273 Haslobium, cui dona Dei regesque canenti,  
 274 commodat ipsi suam cantor Apollo chelyn.  
 275 Hinc gravis ubertas venae strepitantis et exsors  
 276 gratia, quemque probet Sulmo vel ipse, lepos.

277 Nunc mihi nulla super patriam repetisse voluptas,  
 278 nec juvat aspecti pristina forma situs.  
 279 Aeriae turres et culmina visa Lycaei,  
 280 quoque suit quondam dulce lepore frui,  
 281 quid juvat arrisu priscum revocare favorem ?  
 282 Nulla potest aegram tollere causa crucem.  
 283 Obvia sic animis horrescunt omnia circum,  
 284 crescit et admonitu proximior dolor.  
 285 Vitiferi colles, quos versibus ille colobat,  
 286 graminaque accubitu pressa repressa meo :  
 287 umbraque per tractum rivi spatiantis oberrans,  
 288 quoque solebamus carpere calle gradum :  
 289 Nymphae, Marchiades nymphae quas perpete ripa,  
 290 amnis Apollineae laudis amator alit.  
 291 Cur modo vos humili cerno languescere luctu ?  
 292 Pallida frons certi signa doloris habet.  
 293 Irriguae valles, an et has sine carmine planctum  
 294 promere deserti fornicis antra probant ?  
 295 Ut Tritonigeri cessat generosa poetae  
 296 vena, Dioneis illa petita modis.  
 297 Cur nemo est Xyloen, nemo est qui lene fluentis  
 298 basia Callirhoes reddat amoena sono.  
 299 Populus et platani late surgentis in auras  
 300 tegmen, ut admonitu, quae placuere, novas ?  
 301 Cur incisa pio duo cortice nomina servas ?  
 302 Cur prior intuiti qui capiatur abest ?  
 303 Quid nunc arcta juvat cognatio vocis et omen ?  
 304 Nomen in Haslobii pene fuisse meum.  
 305 Docte querelosis ignosce, Pelarge, Camenis  
 306 tangit hic ex aliqua te quoque parte dolor.  
 307 Eloquium dotesque viri laudare solebas,  
 308 quaque fuit praestans utilis arte styli.  
 309 Urbs ea vicina quam despicit axis ab Arcto,  
 310 dividit undivagis Suevus amoenus aquis :  
 311 ingeniique solique decus tibi gratulor ultro,  
 312 urbibus egregiis te ratus esse parem.  
 313 Cui vates generare datum est, educere cunis,  
 314 solertes animis iudicioque viros.  
 315 Quos licet exsortes alte sapientia vectet,  
 316 aemula profectus, Attica musa, tui :  
 317 unius Haslobii dignum virtute triumphas,  
 318 grandius est magnos amplificare libris.  
 319 Hactenus : et merito pietas sua debita poscit,  
 320 sollicitudo aliquo discutienda modo est.  
 321 Ipsaque nunc adeo vox deficit inter eundum,  
 322 cumque suo maeror carmine rumpit iter.

DE ASTRO CASSIOPEAE ad reginam Angliae. ELEGIA II.

E2\_2 v.1 Inclita quae populis quondam regnavit ad Austrum,  
 2 femina (fas modulis prisca movere novis :)  
 3 cur nunc opposito subsidens vertice, clarum  
 4 auget hyperboreae lumen et astra domus ?  
 5 Fallor an ? Illustris gestat typon illa puellae,  
 6 quae regit invicta sceptris Britanna manu.  
 7 Haud secus ut solii late splendentis honorem,

8 transtulit ad Boreae Cassiopea situm :  
 9 transtulit australis jam pridem e cardine mundi  
 10 jura, decus regnis, templa fidemque Deus.  
 11 Aurea nunc duplices pietas consedit ad Arctos,  
 12 nympha Caledoniae qua dominatur humo.  
 13 Regum nympha genus, Christi quae fervida cultum,  
 14 adversus Latiae Gorgonis ausa tegit.  
 15 Persea Cassiope comitem trahit, ille feroci,  
 16 monstra, triumphator maximus, ense domat.  
 17 Nobilis, heroas, septem regina trionum,  
 18 in sua sic animis jussa venire facit.  
 19 Obtinet hinc scopulis haerens Ecclesia palmam,  
 20 itque Redemptori libera nupta suo.  
 21 Ne quis at ambiguus sub imagine talia fingi,  
 22 aut dubitet tantas astra notare vices :  
 23 En nova praeteritis index illuxerat annis  
 24 Stella, serenatis pulchrior una micis.  
 25 Stella prius visam quam nulla notaverat aetas,  
 26 gratus in aspectu splendor amoris erat.  
 27 Haec quia regalem tinxit fulgore cathedram,  
 28 arguit imperium regia virgo tuum.  
 29 Unde pio nova lux orbi splendescet, ut olim  
 30 cum redit exorto candida Sole dies.  
 31 Macte bonis ergo, rectrix heroica, fatis  
 32 nulla tuae rabies agmina laudis edet.

DE AESTATE ANNI LXXXVIII. pluviosa, et obitu D. Petri Monavii...ELEGIA III.

E2\_3 v.1 Nubila questus eram, mensesque madoribus udos,  
 2 quodque meum pluviis flabra morentur iter.  
 3 Ergone continuis absconditur imbris aether ?  
 4 Nec calor aestivum lumine torret opus.  
 5 Quid tamen, ut tecti, currunt, velamine soles ?  
 6 Phoebus an erepto rursus amore dolet ?  
 7 Qualis odorata complexus in arbore Daphnen,  
 8 Oscula cum ligno tristis amica dedit.  
 9 Aut quales iit in luctus Phaetonte perempto :  
 10 talia, si memini, verba putantis erant.  
 11 Cum levis aura cito stridoribus impulit aurem,  
 12 dixeris hanc volucrem : sed puto sama fuit.  
 13 Vox erat augurio : Petri dum fata Monavi  
 14 (sic ait :) indiciis publica reddo meis,  
 15 non potuit Phoebus non deplorare nepotem,  
 16 neu pudor est, alte signa dolentis ali.  
 17 Tantus enim virtute Dei, medicoque paratu,  
 18 deseritur prudens artis ab arte sua.  
 19 Aula virum queritur, magno quae Caesare splendet,  
 20 muneris ante diem deseruisse vices  
 21 tam bene quae succos, bene quae miscebat odores,  
 22 debuit assiduum musa tenere decus.  
 23 Ipse quidem solitas Epidaurius acciit herbas,  
 24 quicquid et optatae numen haberet opis :  
 25 Ambrosiae succis aegrum dignatus Apollo est,  
 26 jura sed invisae praevaluere necis.  
 27 Debilis ille mora, Christo concedimus, inquit,  
 28 nam mea cum fatis stant rata pacta mori.

29 Concilium caeleste petam, cum gente beata,  
 30 qua mihi certa quies, et mihi parta salus.  
 31 Dixerat : obrigui Niobes ut inutile saxum,  
 32 vox et in attonito gutture nulla fuit.  
 33 Hunc mihi torporem ventura levaverit aetas,  
 34 plura super caro funere musa dabit.

AD D. IACOBUM COLERUM, Praepositum Berlinensem... ELEGIA IV.

E2\_4 v.1 Dum fatis comitem me dura per omnia praesto,  
 2 trans maris invisi damna, solique minas :  
 3 casibus indocilis dare terga, sed ire paratus,  
 4 quo vel Atlantei fama laboris abit :  
 5 jamque revisurus patriae oblectabilis oras,  
 6 Odera magne tuis inspatiabar aquis.  
 7 Jamque mihi viduata parens et quicquid amicum,  
 8 jam cordi gravitas et decor urbis erat.  
 9 Stringebant animos memorantis imagine dulci,  
 10 jure vetustatis quos mihi junxit amor.  
 11 De quorum numero, tot pridem messibus actis,  
 12 qui reduci faveant, unus et alter erit.  
 13 Conditor in primis blandae celeberrimus odae  
 14 Haslobius , Clarissimi maximus ille gregis.  
 15 Quem mihi consortem patriae cum Marchia fecit,  
 16 gratulor Aonii fontis habere ducem.  
 17 Illi victor ego tot per dispendia laetus,  
 18 post operum varias exillique vices,  
 19 sponte peractorum seriem memorabo laborum,  
 20 quotque viro pariunt bis duo lustra mali.  
 21 Sic peregrinantum casus et fata queremur,  
 22 gaudia communis sic canet ille jugi.  
 23 Quando mihi tot adulta penus monumenta politi,  
 24 monstrabitque sui pignora scita tori.  
 25 Spes hominum nihili, vosque o vaga somnia curae,  
 26 quid juvat hei fictis ludere corda bonis ?  
 27 Gaudia cur quisquam praetentat inania sensu,  
 28 quae mox in lacrimas vertat acerba dies ?  
 29 Dum meditatur enim simulacra placentia menti,  
 30 et praesaga boni cura cor intus agit :  
 31 sauciat ingenti me tristis epistola luctu,  
 32 illa tua, doctor, missa Colere manu.  
 33 Officiosa quidem cumuloque referta favoris,  
 34 ab saltem ex una parte fuisset iners.  
 35 Qua veniens aegras streperis singultibus aures  
 36 impulit, o animo fama dolenda meo.  
 37 Scilicet Haslobium diuturni examine morbi  
 38 isse, pios manes huc ubi fata cient.  
 39 Haslobium magnosque duces et gesta canentem,  
 40 immortale tuum Parnasis aula jubar.  
 41 Ille Deum multis encomia debita libris  
 42 laudata cecinit, clarus et ipse, tuba.  
 43 Extulit auguriis meritos cantator Olympo,  
 44 si qua tulit, vivax, praemia nomen habent.  
 45 Nec tantum numeris decoravit alacribus illos,  
 46 quos juvat officio vatis et arte frui.  
 47 Luce diu cassos vitae revocavit ad haustus,

48           nomina carminibus dum rediviva facit.  
 49   Illius artificem miratur Gallia musam,  
 50           quaque viret cultis Hesperis ora viris.  
 51   Nobile profluvium venae strepitantis et uber,  
 52           qualibet auctorum candidus ordo probat.  
 53   Saepe mihi dixit vatis Sambucus amator,  
 54           quam placide gravitas Haslobiana fluit.  
 55   Teque poetarum genitricem Marchia dixit  
 56           Fabricius, teneri carminis ille faber.  
 57   Terra quod Haslobium tulerit magnumque Sabinum,  
 58           Fama foris quorum grandius instar habet.  
 59   Illis esse quidem fateor feliciter actum,  
 60           quos decor aeternum non abolendus alit.  
 61   Haslobii sed enim me casus acerbius urit,  
 62           scripta quod occulto sub lare plura latent.  
 63   De quibus ipse virum quoties monuisse solebam ?  
 64           Ede, quid o dignum luce recondis opus ?  
 65   Dum vegeta virtute licet, tua prome latebris  
 66           impiger, eque bonis optima quaeque legas.  
 67   Mutila ne quondam de funere demta magistri,  
 68           in streperum, quos iudice, vulgus eant.  
 69   Cerue, poematibus docti quid venerit usu  
 70           Stigelii, vel adhuc multa parentis egent.  
 71   Sanet hiascentis qui posthuma vulnera Loti,  
 72           Auctor ab auctoris funere nemo venit.  
 73   Flebilis arbitrio fati praeventus uterque est,  
 74           scriptaque idem possunt Haslobiana queri.  
 75   Facta nec est rerum tenuis jactura profecto,  
 76           quaeve repensari quolibet aere queat.  
 77   Scribimus aetatem libris insumere proni,  
 78           curaque deciduos efficit ante diem.  
 79   Imus et exedimur, dum nec venamur honores,  
 80           nec cumulandarum nos tenet ardor opum.  
 81   Postmodo victuris ut nos vixisse probemus,  
 82           posteritasque boni fruge laboris ovet.  
 83   Dumque ita venturis vigiles impendimus annos,  
 84           improba derisos fabula plebis edit.  
 85   Atque aliquis tunc inter agros et praedia dives,  
 86           nunc saliat, juvenis quando canebat, ait.  
 87   Fata superveniunt miseris properanter, et ante  
 88           quam manus exactum summa coronet opus.  
 89   Musa nec intentos simplex exercet, ut olim :  
 90           nunc hoc nunc aliud plectra moventis agunt.  
 91   Ex quo larga manus, regumque benigna voluntas  
 92           cessat, et ex aula Pollio, Varus abest.  
 93   Nec res arcta domi, nec nos ludibria terrent,  
 94           laudis ut inceptum destituamus iter.  
 95   Et meliora suos riserunt saecula vates,  
 96           quos grave iudicium posteritatis amat.  
 97   Ipsa celebrari virtus a funere quaerit,  
 98           scripta secutura laude valere sat est.  
 99   Suavibus ingeniis spes nutrimenta ministrat  
 100           haec, ut in victo pensa labore trahant.  
 101   O mihi victuro districtam stigmatem plagam,  
 102           quamque nec ex animis eximet ulla dies :  
 103   non potuisse viri supremum cernere vultus,  
 104           et valedicentis membra tenere manu,  
 105   Ilias annorum qui cum mihi suaviter acta est,





21 Respicis extorres hac tempestate Camenas,  
 22 ingeniis placidam ferre paratus opem.  
 23 Invitas preciiisque viros et dotibus ornas,  
 24 dulce quibus linguae Pallas aroma dedit,  
 25 pandere caelestis divina volumina verbi,  
 26 eque Prophetarum promere mella favis.  
 27 Huc vitrei faciunt fontes, quos musa recludit,  
 28 Israeliticum docta sonare melos.  
 29 Sola vetustorum mysteria pandere novit,  
 30 perque patrum facilem sternere tesqua vians.  
 31 Sola salutaris Sophiae scrutatur abyssus :  
 32 abdita suffuso lumine signa patent.  
 33 Sola satellitibus gemmas ostendit et aurum,  
 34 quae caeco reliqui praeteriere gradu.  
 35 Utque capit lucem Phoebi splendentis ab ictu  
 36 mundus, eunt pulsa condita nocte palam.  
 37 Haud aliter pietas capit illustrata nitorem,  
 38 hac duce luciferum praeficiente jubar.  
 39 Incipiunt avidae cultu splendescere mentes,  
 40 occultaque juvat cognitione trahi.  
 41 Felices adeo quibus his impendere curam  
 42 mercibus, et divum mystica nosse datur.  
 43 Talibus ingeniis non frivolus obfuit error,  
 44 hausta nec e putrida damna bibere lacu.  
 45 Sed potuere sacros latices aperire putando,  
 46 tramitis et vivum prolicuisse genus.  
 47 Nobilis illustri jactat se vena paratu,  
 48 quam pius e liquido fonte petitor agit.  
 49 Et dubitamus adhuc sermoni impendere cultum,  
 50 eloquioque sacri proluere ora styli ?  
 51 Inclita cum Latii noris commercia, pubes,  
 52 Dia Sioneae biblia gentis ama.  
 53 Quodque suis aetas peregrinum fecit alumnis,  
 54 cura sit, ingenio suppeditante, legi  
 55 prisca retractatum gentis modulamina sanctae,  
 56 Hic Salomoniacae Palladis inter opus.  
 57 Quo nos dulce monens quoque cura coegit amici,  
 58 fas sit ut alterna cognitione frui.  
 59 Quaere, quid hic faciam male notis scriptor in oris,  
 60 Ursa sub imperio quas borealis habet :  
 61 hic quoque Pierii vivacia signa laboris,  
 62 ille novenarum figere jussit amor.  
 63 Gloria grande bonum, certe sine carmine manca est,  
 64 nominis et famae regius ardor eget.  
 65 Egregii juvenes, generis spes alta paterni,  
 66 Natalis columnen perfugiumque situs :  
 67 ferte pedes ultro, velut agmine et impete facto,  
 68 Hic hic Pierio structa palaestra gregi est.  
 69 Hinc decus, hinc gazae, licet, asportetis acervos,  
 70 prae quibus Assyriae nil reputantur opes.  
 71 Impiger adverso miles sese obicit hosti,  
 72 fortia nec dubitat vulnera ferre domum.  
 73 Ornet ut Attalicis quondam conclave tapetis,  
 74 splendidus ut gemma versicolore bibat.  
 75 Grande relaturus divum penetralibus aurum,  
 76 dulce neget quisquam ferre laboris opus ?  
 77 Hic adyta Hesperidum, stant hic Paradisia Tempe,  
 78 unde salutiferis floribus halat odor.

79 O mea psalmographi vernantia gaudia fructas,  
 80 quis Deus in verbis caelicus auctor agit ?  
 81 Sicut arundineo sub cortice saccara gliscunt,  
 82 ceratisque latent mella liquata locis.  
 83 Vena premit flammam sub silice : gratia divum  
 84 in scripturarum conditur alma sinu.  
 85 Torrentes alii latices in pocula poscant,  
 86 nectar ab indigenis fontibus ipse bibam.  
 87 Per Patriarcharum compestria passibus ibo,  
 88 qua veteresque gradus antetulere, sequar,  
 89 jamque mihi videor conviva sub ilice Mambrae,  
 90 gramineis pariter discubuisse toris.  
 91 Aut tecum Mathusalah loqui, cui quolibet aevum  
 92 longius, exemplo, vivere Parca dedit.  
 93 Nunc radiosa tui contemplor cornua vultus,  
 94 saxea qui populis monte statuta vehis.  
 95 Nunc tua, dive puer, miracula specto, profano  
 96 somnia qui regi solus operta canis.  
 97 Aut te, quem caeco tantum de carcere fecit  
 98 gloria, res omnis digna favore fori.  
 99 Jam mihi succurrit, tercentum victor in hostes  
 100 qui ruit, armata quolibet osse manu.  
 101 Detinet aut cupidas orator amabilis aures,  
 102 qui canit unigenam, secla tot ante, Dei.  
 103 O mihi jucundi per alacria lustra sodales,  
 104 dum vehor alloquiis exhilarorque ducum.  
 105 Da mihi te comitem patriae formosa juvenus,  
 106 et mecum in pulchros expatiare situs.  
 107 Nec te paeniteat silvas saltusque virorum,  
 108 quos modo templa tenent aetheris alta, sequi.  
 109 Neu locus obsistat, nec rustica forma domorum,  
 110 quo minus huc cultor Palladis ordo volet.  
 111 Juppiter interdum tenum divertit in aedem,  
 112 dives et exiguo Vesta reperta foco est.  
 113 Numina sub tectis silvestribus hospita degunt,  
 114 cultorumque juvat simplicitate frui.  
 115 Nec validas tantum sedes et templa frequentant,  
 116 otia dilecti ruris, ut urbis, amant.  
 117 Hic ego prolixo penetrans retinacula pontis,  
 118 subter quem vitrei sternitur unda maris :  
 119 panibus admixtas vidi colludere Nymphas,  
 120 capripedumque salax atque biforme genus.  
 121 Faunus in hoc numero linquens deserta Lycei  
 122 Nymphigenos, ducta reste, cit ipse choros.  
 123 Juvit Oreadibus mixtas spectare Napaeas,  
 124 quaeque super flores jus Zephyritis habet.  
 125 Collibus e pressis Dryades currere solutae,  
 126 rura sub alterno tunsu ferire gradu.  
 127 Naiades et glaucae Nereia turba sodales,  
 128 fontibus et rivis exiluerunt suis.  
 129 Muscigenis omnes hederis viridique corymbo,  
 130 aut viola cincti versicolore caput.  
 131 Blanda penetrales reficit fragrantia sensus,  
 132 qualem dulce vires Enna vel Hybla parit.  
 133 Dia Ceres flavos spicis redimita capillos,  
 134 et dea spectatrix, quae pecus auget erat.  
 135 Fallor an ? Idaliam caetu conspeximus illo,  
 136 nudus in has certe spicula jecit amor.

137 Venit et hortorum cui dat custodia famam,  
 138 tota sed obscaenum propulit aula Deum.  
 139 Delia praecipue sociis stipata pudicis  
 140 non tulit hunc, oculos occuluitque sinu.  
 141 Quique trisulcato Nereus agit aequora sceptro,  
 142 ad vada caeruleos nare coegit equos.  
 143 Laeta Deum facies, et erat solenne theatrum,  
 144 undique res sedenim deerat una choro.  
 145 Stabat iners Aegon, nec dum meliora peritus,  
 146 et rudibus calamis exhilarabat opus.  
 147 Quale ferunt olim miserum cecinisse poetam,  
 148 cui datur aurito iudice palma Mida.  
 149 O mihi praestantesque lyrae, buxique disertae,  
 150 carminaque in molli tergore caesa libri.  
 151 Duxit in has postquam precibus dux inclitus oras,  
 152 qui Clarium properant ore cedere melos.  
 153 Namque ubi vocales pandunt vestigia musae,  
 154 asperitas omni de regione fugit.  
 155 Gratia succedit molli quae pectora cultu,  
 156 expolit auspiciis diva Minerva tuis.  
 157 Incipiunt alios animi portendere motus,  
 158 vis ubi Threicii numinis intus agit.  
 159 Ora modis doctae variis flexere Camenae,  
 160 ad cytharam quoties ludit Apollo modos.  
 161 Ipse diis ultro modulamina cantor Aedon  
 162 miscet, et haec omni est musa quiete prior.  
 163 Cumque sagax olim Graio pede pangeret odam,  
 164 nunc Israeligenae sibila gentis amat.  
 165 Quodque magis mirum, quos Aeolus aequore pellit,  
 166 in numerum fluctus sacra loquentis eunt.  
 167 Quoque Deum late pietas Paeane salutata,  
 168 hanc Notus et nemorum vox iterare docet.  
 169 Exerit et lituum volucris clangore sonoro,  
 170 cuius adulteriis Leda gravata parit.  
 171 Et soboli mansueta sacri commercia plausus  
 172 dictat : io blandi plena canoris avis.  
 173 Esse voluptatem dixi, celsissime Princeps,  
 174 victuri decus hoc nominis esse puta.  
 175 Macte esto, longumque bonis praestare patronum  
 176 perge, nec occlusa desere coepta manu.  
 177 Otia fer sumptusque viris, quibus inclita cordi  
 178 vena, nec invito Marte coacta fluit.  
 179 Hi meritum laudesque tuas insculpere norunt,  
 180 radere quas nullo vis adamante valet.  
 181 Chloris amat flores, sed eas dum Chloris amabit,  
 182 arboreique tenax montis Oreas erit :  
 183 fontibus exultant nymphae, dum fontibus abdet  
 184 formosi laticis Naias alumna caput.  
 185 Semper honoratae carpes encomia musae,  
 186 obscurum pietas nec sinit esse rogam.

AD ABRAHAMUM RISENUM..., Princ. Elector. Sax, Mathematicum. ELEGIA VI.

E2\_6 v.1 E mihi dilecta regione diutius absum,  
 2 consilii ratio quam ferat ulla mei.  
 3 Pactus eram, celer autumnos vertente, reverti,

4       annus abit, nondum solvere pacta licet.  
 5 Detinet Eliae residem conjunctio nostri,  
 6       nec dum colloquiis exsatiatus amor.  
 7 Officii veteris me vis remoratur et usus,  
 8       Musaque deliciis laeta sequaxque sui.  
 9 Dum tamen hibernae sub sidere Menalis ursae,  
 10       Hospes Hyperborei regna peragro situs :  
 11 haud satis integra populos virtute revisens,  
 12       aeger ob Oceani litus aquantis eo.  
 13 Nunc me tussis atrox, nunc horrentesque catharri,  
 14       nunc dolor et cerebri plena gravedo premit.  
 15 Intima corripiunt viciantes pectora morbi,  
 16       pulmo perempturo quassat acore lateris.  
 17 Pallidus et macie gracilem tenuatus in umbram,  
 18       vix traho lassatos debilitate pedes.  
 19 Seu tamen hoc crassi facit inclementia caeli,  
 20       seu maris assiduo nos obeuntis odor.  
 21 Humidus est supra, quam quis bene crederet, aer,  
 22       ampla suaque palus proximitate nocet.  
 23 Seu luo crassitiemque cibi, carnesque suillas,  
 24       quaeque venit salso cochlea ducta lacu.  
 25 Delicias haec saepe voco, vescorque paratis  
 26       conveniunt stomacho non tamen illa meo.  
 27 Sic placitis deceptus ego mea pabula carpo,  
 28       et quae post misero sunt toleranda, fero.  
 29 Namque racemiferam linquens mea gaudia Dresdam,  
 30       te duce, te longam me comitante viam.  
 31 Venimus huc pedites tandem, cui conditor urbi  
 32       subdubito, nomen quis pugil Hanno dedit.  
 33 Albis ibi vicibus redituque reciprocatur undas,  
 34       et sua cum salsis cornua miscetur aquis.  
 35 Motus agit sursum properis concursibus aequor,  
 36       hora quod ad reditum sena subinde vocat.  
 37 Nec tamen immota reses immarcesco taberna,  
 38       nec fruor unius commoditate soli.  
 39 Oppida fert animus lustrare sub orbe Boraeo,  
 40       qua premit angustam Cymbricus Isthmos humum.  
 41 Dumque per antiquis Danorum sedibus erro,  
 42       notitiam cupidus conciliare loci :  
 43 frigus ab axe means et Eoae partibus arcis,  
 44       invisis violat corpus alacre modis.  
 45 Aura necat teneros : nimis intractabile caelum est,  
 46       si quis ad has oras fors aliunde venit.  
 47 Hic superaturo totum decumbere mensem,  
 48       Parca dedit vitae non satis aequa meae.  
 49 O quoties hic inter aquas et frigora ponti,  
 50       inter et urgentes barbara verba nurus,  
 51 secessus Abrahame tuos, tua culta recordor  
 52       rura, Sudetorum qua sola fossor arat :  
 53 pomiferosque situs, et prata nitentia pulchro  
 54       germine, quae medicis fons obit altus aquis.  
 55 Et tua quae claudunt lectissima praedia thermae,  
 56       hospes ad has crebris cursibus aeger adit.  
 57 Quemque petebamus, summi juga saxea montis,  
 58       aedis in oppositu, docte Risene, tuae.  
 59 Unde scatent frutices quas Hippocrateia proles  
 60       carpit odorata, vere tepente, manu.  
 61 Fossa remetimur tacite, scrutator abyssi

62 antra, metallipeta si qua ligone facit.  
 63 Vestra subinde mihi facies et amica recurrunt  
 64 verba, larisque pius gratificantis honor.  
 65 Quando Syracosii rursus monimenta magistri  
 66 fas erit affecta continuisse manu ?  
 67 Parcere cui victor jussit Marcelus in armis,  
 68 ingenio magni motus et arte senis.  
 69 Quando per artificis campestria ductilis ibo,  
 70 linea cui totum multa figurat opus ?  
 71 O mea, scriptorum spectacula grata voluptas,  
 72 Musa mathematicos tuque professa cubos.  
 73 Tuque volubilibus quae dividis omnia punctis,  
 74 et numeras bipatens quicquid hic orbis habet :  
 75 Quando mihi facilis Sophiae monstrabis amussim,  
 76 quam dat discipulis Pallas alumna suis ?  
 77 Nempe quater decies quamvis mihi luditur annos,  
 78 sitque jocis aetas grandior illa vaftris :  
 79 non tamen hunc vel adhuc morem deponere possum,  
 80 quin bonus arguti pensa laboris amem.  
 81 Vivere nec tecum felix, Abrahame, recusem,  
 82 colloquiisque frui quae tua Musa parit.  
 83 Musa subobscurus pridem scrutata recessus,  
 84 quos tegit occulto dia Minervasinu.  
 85 Abdita vaticinas triades mysteria novit,  
 86 quaeque vel Architas Pythagoreus habet.  
 87 Mole gigantea vetus ilias edit Atlantem,  
 88 et qui stelligerum vertice volvat onus.  
 89 Fallor an ? Abstrusi nil indiga fabula sensus  
 90 competit ingenio, dives Abrame, tuo.  
 91 Omnia qui penetras pernicious acumine mentis,  
 92 quicquid alit gravitas et schola prisca boni.  
 93 Pegmate communi tecum mihi vivere detur,  
 94 Hoc ego milleno pondere munus emam.  
 95 Nunc locus et vitae ratio male mobilis arcet,  
 96 officiique graves impediere vices.  
 97 Has mihi si partes oneris deponere detur,  
 98 mox ego te reditu proximio petam.  
 99 Et tecum spatiatum agros properanter et urbem  
 100 fulgida quae venis aera secundat, eam.  
 101 Privatique tibi quod sub laris arce latebit,  
 102 comibus indiciis excutiemus opus.  
 103 Dum tamen obstantes spes haec differtur in horas,  
 104 interea longum, dulcis amice, vale.

AD ELIAM HUTTERUM. ELEGIA VII.

E2\_7 v.1 Cursibus ut repeto mea pristina gaudia Dresdam,  
 2 invisam referens e regione pedem.  
 3 Adveniens operosa tui monimenta laboris  
 4 conspicio, ac studio bibula picta tuo.  
 5 Incompta cubi pariter spectacula recentis,  
 6 trivimus hic cupida contulimusque manu.  
 7 Quae licet ante mihi fuerant communia tecum,  
 8 in lare privato grande latebat opus.  
 9 Vix aliquot paucos haec sacramenta juvabant,  
 10 munere nunc extant publica facta tuo.

11 Dulce rudimentum tironibus, utile porro,  
 12 Unde peroptatae frugis aroma scatet.  
 13 Quid prius his operis lucem contingere dicam ?  
 14 Quid melius plagulis ars Eliana tuis ?  
 15 Mente caret quicumque opera non destinat uti,  
 16 vituperatoris fronte, saliva, caret.  
 17 Stat sacra pellacis folii discreta supellex,  
 18 segregat a dominis corpora serva color.  
 19 Sic certis acies incisa phalangibus olim,  
 20 quae sint militiae robora prima notat.  
 21 Ipse characteres si quos oblitterat usus,  
 22 ne possint animum sollicitare, patent.  
 23 Elevet haec Momus (variat sententia discors)  
 24 quisquis es, his ipsis da meliora, precor.  
 25 Et sunt illa quidem nunc haud obscura putanti,  
 26 ut semel arte sagax extudit auctor opus.  
 27 Quam facile inventis scelerata calumnia crimen  
 28 adserit, haud viso muta, labore, foret.  
 29 Qui molles aditus nimiumque patentia culpat  
 30 dogmata, nae vitii proditor ipse sui est.  
 31 Nutrit et invidiae subter diaphragmate virus,  
 32 tabificae tacitus fotor amansque luis.  
 33 Dum prohibet triviis puerilibus obvia scribi,  
 34 barbarie pietas ut, fugiente, micet.  
 35 Inclita linguarum ne forte peritia damnet,  
 36 si quis in antiquis lapsibus error inest.  
 37 Pone, quod utilitas haud attinet ista magistros,  
 38 tam vilemque ais, oh, quis sibi poscat opem ?  
 39 Primula sed mecum vigilans elementa juvenus  
 40 quaerit, et oblatis numinis instar habet.  
 41 Est, ubi substrato tecum sine cortice nabo,  
 42 nunc mea principium Musa levantis eget.  
 43 Per rata curriculi compendia rectius itur,  
 44 quam si dividua dispatiere via.  
 45 Tutius eductat comitem, cui semita nota est,  
 46 quam dux ambiguo qui pede carpit iter.  
 47 Biblia nunc operum tenui mercede levascunt,  
 48 ante vel Atlantem grande premebat onus.  
 49 Aegaei citius violentia murmura ponti,  
 50 viminea liceat transiliisse scapha.  
 51 Tanta molis erat veterem perdiscere linguam,  
 52 Unde genus reliquae, ceu genitrice, trahunt.  
 53 Non, foret humano quod fors magis ardua captu  
 54 sarcina, vel nullis perterebranda modis :  
 55 sed quia dexteritas et idonea musa docentum  
 56 defuit, haec tanti causa laboris erat.  
 57 Lustra cucurrerunt aliquot, dum prima legendi  
 58 fundamenta puer, grammataque ipsa bibit.  
 59 Nec tamen aetatem postquam contriverit, audet  
 60 perceptis animo rebus habere fidem.  
 61 Aut prodire tenus, vel spe praesumere pugnam,  
 62 si fremat hostili gens inimica stylo.  
 63 Hanc labem accensus dedit ignorantia : pauci  
 64 hactenus hanc tentant enucleare nucem.  
 65 Nec numeris, nec lege carens oratio divum est,  
 66 in se continuo circulus orbe redit.  
 67 Dictio non usquam rupto valet ordine demi,  
 68 indicio pateat quin repetenda suo.

69 Puncta quoque atque apices serie comprehendere jussit,  
 70 ne casu pereat mica pusilla, Deus.  
 71 Surgere tetragono molem de marmore vidi,  
 72 doctus amussatim quam faber arte dolat.  
 73 Fragmentum quacumque operis de parte revellas,  
 74 nobile conspicuo vulnere corpus hiat.  
 75 Ipse coagmentat sic scripta prophetica doctor  
 76 Spiritus, articulis omne cohaeret opus.  
 77 Hos qui non coitus, qui non retinacula novit,  
 78 Hebraeae synodum transeat ille scholae.  
 79 Hoc animadvertens haud ignavissimus olim,  
 80 cui cordi fuit hanc absoluisse colum.  
 81 Ad recutitorum se conciliabula vertit,  
 82 credulus hic studiis talibus esse scholam.  
 83 At non Cimmeros, non sic Nilotidas olim  
 84 obruit in medio nox inamoena die :  
 85 quanta cruoripetam premit ignoratio verpam,  
 86 qui Patriarcharum se genus esse canit.  
 87 Ergo ducem quaeras, ut compita monstret eunti,  
 88 qui Thamiraque minus Tiresiaque videt ?  
 89 At tibi debentur grates, tibi nomen in aevum.  
 90 et decus, Elia, quale beatus amat :  
 91 fontibus antiquis haec qui mysteria promens,  
 92 non prohibes amplo publica jure vehi.  
 93 Quodque tua exsculpsit memori solertia nixu,  
 94 cedere vulgatis usibus omne jubes.  
 95 Amnibus et rivis late vicinia gaudet,  
 96 Quando foras domino lympa sinente, fluit.  
 97 Non sibi sed multis virtus servire laborat,  
 98 gaudet et ipsius proditione sui.  
 99 Haec parit aeternam tibi promulgatio laudem,  
 100 grandius ex meritis nomen ab ora vehes.  
 101 Si qua venit ducis ingenium mirabitur aetas,  
 102 grataque cognitio posteritatis erit.  
 103 Jamque dies instat, magna cum mole requirent,  
 104 gentes et populi regnaque tota Deum.  
 105 Signa trophaeorum late victricia stabunt,  
 106 festa celebrabit relligionis amor.  
 107 Vox Evangelii tuba grande crepantis in auras,  
 108 agmen ab extremi finibus orbis aget.  
 109 Nomina vanescent tot inania, desinet ultro  
 110 futile linguarum, prae pietate, chaos.  
 111 Exstima progenies olim, nunc prima feretur,  
 112 unaque congeries, unus acervus erunt.  
 113 Qualis ubi circum pulchri primordia mundi,  
 114 cum nova primaevae gratia luxit humi.  
 115 Una cubi facies toto regnabat in orbe,  
 116 e qua nos trahimus nata propago genus.  
 117 Prisca fides pietasque cito nos coget in unum,  
 118 fulgida tetragoni templa capacis, opus.  
 119 Huc adeo sanctae facit illustratio musae,  
 120 quam veteri novitas vindicat illa situ.  
 121 Ne qua calescentes profectus culpa moretur,  
 122 Palma sed in studio simplicitatis ovet.  
 123 Haec via concordis pacti, sic foedera constant,  
 124 una fides ex hoc elicienda libro est.



## AD EUNDEM. ELEGIA VIII.

E2\_8 v.1 Quem fore credebas tibi tempus in omne fidelem,  
 2 numen amicitiae praesidiumque tui.  
 3 Defecisse cito nunc indignaris, et ultro  
 4 prodere, decepta simplicitate, fidem.  
 5 Propter id in curas animum dirumpis inanes,  
 6 candor et ingenuo pergit amore queri.  
 7 Interjecta feri ceu sit tibi causa doloris,  
 8 aut jactura pari non reparanda bono.  
 9 Aequiparare diis animal variabile noras,  
 10 stultus, an humanum plasma putare canes ?  
 11 Stat Deus aeternum mens immutata molossus,  
 12 sic benefactori semper adhaeret hero.  
 13 Ergo coloratum fuco variare colorem,  
 14 fers animo lacrimans impatiente, genus.  
 15 Nec tibi succurrit brevium fortuna rosarum,  
 16 patria quas levitas excutit ante diem.  
 17 Nec tot inutilium subeunt exempla virorum,  
 18 tempore qui dubio deseruere suos.  
 19 Talis et est habitum, faciemque et tergora mutans  
 20 stellio, mutati pro ratione loci.  
 21 Moribus his toto nil evulgatius orbe est,  
 22 nullaque non aetas tale catharma creat,  
 23 stirpis in humanae sobolem spes ponere vanum,  
 24 plena Deo sacri psaltria vatis ait.  
 25 Quid faceres ubi fata virum suprema tulissent,  
 26 tene dolor properae dederet iste neci ?  
 27 Flore suo gaudens aliquot numerabat amantes,  
 28 solus ab infami stipite Christus ovat.  
 29 Siste animos, questumque leva toleranter, amicos  
 30 dat fortuna parens, ipsa noverca probat.  
 31 Fausta dies gravido profugos temone reducet,  
 32 Plaustraque congeriei gratificantis ages.  
 33 Vitat hirundo nives, at ubi ver aera mollit,  
 34 advolat antiquos ales alumna lares.  
 35 At tu cum reducum complexibus obvia cernes  
 36 brachia, porrectas jugeribusque manus.  
 37 Fronte serenata, detractis podice braccis,  
 38 nudatis jubeas basia ferre genis.

## INSIGNIBUS ANDREAE REUSSII, V. nobilis et ampliss. ELEGIA IX.

E2\_9 v.1 Barbarus in clypeo quid atrocibus eminet armis  
 2 miles ? An ut certet Martia clava togae ?  
 3 Non ita : pro caris sese popularibus offert,  
 4 condere, firmata pace, salutis opus.  
 5 Ut leges vigeant, per quas Respublica Longum  
 6 commoda communis provehat alma status.  
 7 Quod nisi consilium patriis pro moenibus instans  
 8 urgeat, armorum debilis usus erit.  
 9 Hoc fora marte vigent, non ut vis impete praeceps,  
 10 caecaque bellantes sanguine pugna lavet.  
 11 Tene dolor sapiens in proelia trudet inermem ?  
 12 scutave Pierio fas penetrare stylo est ?

13 Tela vibrat miles, peragit prudentia bellum,  
14 nec validi tantum est roboris illud opus.  
15 Quem sine iudicio dolor efferus urget in hostem,  
16 vulnera cum turpi dura pudore feret.  
17 Adde, quod, ut pateant acies mucronibus altis,  
18 saepius eloquii frangitur arte furor.  
19 Fulminibus decorate suis facundia praestat,  
20 mille quod armatae non valere manus.  
21 Obtinet Aeacidae sapiens herois Ulysses  
22 arma, dat Ajacem lata repulsa neci.  
23 Pergama capturus non belli robur Atrides,  
24 sed bis quinque sibi Nestoras esse vovet.  
25 It Deus assertor Sophiae et dux ipse, coronat  
26 denique consultum mascula palma virum.  
27 His crescunt operis urbes, sacra gloria crescit,  
28 et tuta pietas religione viret.  
29 Talibus emeritis patriam, sua gaudia, solers  
30 Reussius, et studio gratus amante colit.  
31 Hic, amor, hae curae et prior omni fama triumpho,  
32 hinc spoliū sapiens stemmaque fortis habet.  
33 Qui se consilio bonus, oraque commodat ultro,  
34 omnia largitur civibus ille suis.  
35 Perge tuos, Reussi, decorare forensibus armis,  
36 vulnifico scatet hinc gratia marte prior.  
37 Aeternum parientque tibi monumenta favorem,  
38 quae sapiens merito Caesar habere dedit.